MISCELLANEA HISTORIA AUGUSTA 2: OBSERUATIONUM IN…


Anton Becker







68 15



OBSERUATIONUM IN SCRIPTORES HISTORIÆ AUGUSTÆ CRITICARUM.

PARS PRIOR

DISSERTATIO
PHILOLOGICA ET HISTORICA

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE OBTINENDORUM CAUSSA

DIE XII. M. SEPT. A. MDCCCXXXVIII HORA X.

IN AULA LEOPOLDINA

ASSUMPTIS ADUERSARIIS

GUILELMO WAGNER, DR. PHIL.

GUILELMO MARKSCHEFFEL, DR. PHIL.

ROBERTO SASKE, PHIL. CANDIDATO



PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS BECKER.

SILESIUS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS LEOPOLDI FREUND.



FRATRI CARISSIMO

ANDR. BECKER

ECCLESIÆ SCHAVOINENSIS CATHOLICÆ SACERDOTI

REVERENDISSIMO

RECORDATIONE

INNVMERORVM BENEFICIORVM IN SE COLLATORVM

SIMVL

FRATERNI

DOCVMENTVM AMORIS

HVNC LIBELLVM DEDICAT

AVCTOR.

Caput I.

§. 1.

Quaesitam est quas uitas cui scriptori tribui oporteret eorum, qui nominantur: Ael. Spartiauus, Ael. Lampridius, Jul. Capitolinus, Trebellius Pollio.

Codicum enim testimanium Casaubouns[1]), Salmasias[2]), Dodaellns[3]), Heynius[4]) negabant fidem facere posse, quod neque per se probabile esset uitas Hadriani et Veri Caesaris Spartiaunm, Autoniui pii et Aurelii philosophi Capitoliuum, Auidii Cassii Vulcatium Gallicauum, Commodi Ael. Lampridium, Pertinacis Capitoliuum, Didii Juliani, Septimii Seueri, Pesc. Nigri Ael. Spartiauum, Clodii Albiui Capitolioom, Caracallae et Getae Autoniuorum Spartianum, Opilii Macrini Capitoliuum, Antoniui Diadumeni, Heliogabali, Alexandri Seueri Lampridium, posteriorum quibus Aurelianus successit principum Capitolinum scripsisse; neque ordo uitarum et auctorum nomina quae in aliis libris aliter essent significata omnem ea de re dubitationem excluderent. Uera enim in cod. Palatino Salmasii iudicio omnium et antiquissima et maxima egregio[5]) utque in editione principe et duorum tantum annorum intervallo ab ea disiuncta Veneta uitae quamuis ita ut modo definiebamus scriptoribus assignatae diuersa tamen ratione eaque ad tempora principum minime apta dispositae

---

[1]) Cf. ed. Casab. adnot. ad Veri Aug. cap. I., ad Pesc. Nigri cap. I.; Diad. c. I.

[2]) Salm. ed. adnot. Veri Aug. c. I.; Avid. Cass. c. I., Pertin. c. I., Clod. Alb. cap. I., Maxim. m. c. I.

[3]) Dodw. in prael. acad. Camd. pag. 42 et 75.

[4]) Heyn. opusc. Acad. Vol. VI. pag. 67 et 68 (et seqq.)

[5]) Cf. Salm. adnot. ad Hadr. I.

sant. Ibi quidem earum haec dispositio cernitur: Adrianus, Ael. Verus, Tit. Antoninus Ant., M. Aurel. Ant., Verus Antoninus, Didius Julianus, Commodus, Pertinax Auidius Cassius, Seuerus, Pesc. Niger, Caracalla, Geta, Heliogabalus, Anton. Diadumenus, Macrinus, Clod. Albinus, Aurelius Alexander, Maximinus, in quo iure Salmasius quaesivit, cur Julianum Commodus et Pertinax et Auidius Cassius, Diadumenum Macrinus; Getam, Caracallam, Heliogabulum Antoninos Cladius Alb. sequeretur. Porro cod. regius a Casaubono collatus eundem et auctorum et uitarum ordinem, quem primo attigimus, offert, nisi quod secundum eius testimonium Alex. Seuerus non Aelio Lampridio sed Ael. Spartiano, Septimius Seuerus non Ael. Spartiano sed Ael. Lampridio tribui debet. Quem denique Salmasius e libris Spartiani ipsius excerpsisse dixit, is principum Maximino aetate superiorum uitas Spartiano omnes tribuit, eodem ceteroquin ordine collocauit ac Palatini codicis librarius et editores Mediolanensis Venetusque.

§. 2.

Quae quum ita se habeant, explorari prae ceteris interest, quae vitae Spartiano, quae Capitolino, quaeque Lampridio adsignandae sint; non enim jam apte de ratione peruersi ordinis quaereretur, quem e discrepante Palat. et reg. cod. testimonio pateat eorum arbitrio constitutum esse, qui e vitis diuersarum auctorum integram principum Romanorum historiam composuerunt; qua propter haec disquisitio fieri nisi priore confecta non potest. Praeterea vero cuius hac in re diiudicanda libri auctoritas quatenusque plurimum valeat, intelligi debet, ut non solum ex isto ordine ut videtur haud probabiliter instituto uerum etiam e certis indiciis veterum testimoniorum corruptam fidem esse concludas.

Ac de excerptis quaercutibus quid fidei mererentur Salmasius mirus esse nobis eo visus est, quod auctoritatem eorum omnino sequendam dixit, quae nullam habere collatione Palat. codicis facile cognoscere potuit[*]). Nam ita huius scripturae et excerpta inter se tum convenire tum differre comparando efficitur, ut non ex ipsius Spartiani scriptis sed

---

*) Fidem excerptorum dubiam reliquerunt praeter Salmasium (cf. eius adnot. ad Ver. Aug. initium, Auid. Cassii c. I. (contra in adnot. ad Comm. c. I. certi quicquam sentire se negavit), adnot. Pert. c. I., Juliani cap. I; Clod. Alb. c. I; Opil. Macr. c. I; Alex. Sev. c. I.; maxime uero Maximin. mai. c. I.) Gerh. Joh. Vossius Hist. Lat. lib. II. et Dodaellus.

ex illo libro quispiam excerpsisse quaedam necessario existimandus sit. cf. Hadr. cap. 21 md. *misit qui ei colaphum daret ac diceret* ead. reg. et uulg., in Palat. eadem extant ab recenti manu scripta teste Grutero, qui pristinam ibidam scripturam fuisse dixit id excerptum docere: *misit qui colla fundaret, qui nollit inter eos ambulare;* in Alex Sev. cap. 1. *ut non minus in consilio essent sententiae, quam senatus consultum conficeret;* Casaubonus suis in codicibus uidetur legisse: *conficerent:* nos partim Salmasianam emendationem tenentes coniicimus scriptum fuisse: ut non minus in consilio esset sententiarum, quam senatus consultum conficeret, nisi uero uulgata scriptura praestat. ibid. cap. 29. *in quibus Apollonium etquantum scriptor suorum temporum dicit: Christum, Abrahamum et huius ceteros habebat,* in Palat. et exc. Grut. testimonio; Casaub. in suis codicibus reperit *et huiuscemodi deos;* ea quae Salmasio in mentem uenit emendatione ignoro equidem probabiliorem; quanquam etiam sic loci integritas nondum restituta esse mihi uidetur; siquidem Capitolin., cuius eam uitam esse infra probabimus, scriptorem ipsum dixisse ex his probabile efficitur cap. 9. cap. 37: Gargilius Martialis: *eius temporibus scriptor,* cap. 52. *ut Herod. scriptor refert in libris temporum suorum;* porro Max. et Balb. c. 15: *Herodianus uitae suae temporum scriptor;* Gord. 21, *Uulcatius Terentianus, qui sui temporis scripsit historiam;* idcirco etiam in cap. 29. dubito an aut *Acholii* (cf. cp. 64 extr.) aut *Martialis* nomen a scriptore scriptum fuerit. porro ib. cap. 21: *quod antea uel raro fuerat uel omnino non diu non fuerat,* in Palat. et exc.; in codd. Casaub: *uel omnino non fuerat,* quod etsi uiris doctis acceptum omnibus uisum est tamen haud scio an rectius legatur: uel omnino diu non fuerat; nam cf. Hadr. c. 8. Eodem accedunt loci qui quum primum excerpta cum cod. Pal. scripturis collata sunt eam quam supra diximus sententiam comprobent: cf. Pertin. c. 1: *natus est Pert. in Apennino in uilla matris* Pal. et exc. testimonio Gruteri; codd. Casaub.: *Martis,* quod quomodo Casaub. et Salmasius tueri potuerint non assequor praesertim quum cap. 3 legam; ibid. c. 2: *rexit halam* in Palat., exc.; in reliquis libris scriptum est *alam;* Clod. Alb. c. 1., *uno eodemque pro tempore* in Palat., et exc., a Salmasio probabiliter correctum ita: propo tempore; quod idem in excerpto scriptum esse Gruterus docuit, omissam illud aduerbium est in regio.; ibid. cap. 3.: *his litteris acceptis a Nonio id quod iubebat facere noluit* in Palat. et exc. peruerse, recte scriptum est in cod. regio, quicum alter Palatinus fere consentit:

omnino id quod iubebat facere noluit; quibus si adhibueris ualde probabilem Casauboni emendationem: iubebatur, omnino correctum locum habebis; in Opil. Macr. cap. 13 medio: *In uerandis uel aulicis tam impius:* Palat et exc., reg. offert *uernaculis;* e glossis ueram Scaligerus scripturam eruit: in uernulis; Clod. Alb. c. 5: *quod esset animi iam inde militaris ac superbiam:* Palat. et exc. teste Grutero, qui scripturarum rationem accuratius Salmasio enotauit, quippe qui *superbi* in Palat. scriptum esse docuerit. Atqui nexus sententiarum flagitat ut scribatur: quod esset animi iam inde militaris ac superbi. Nam ferior in scholis saepissime contusse inter puerulos; quam emendationem nostram omnium certissimam esse illud ipsum: *superbiam* testatur; similiter in Opil. Macr. cap. 14. in Palat. et exc. „*inte maritus*" temere scriptum est, ubi tamen reg. *inde* praebet; ibid.: *quando et omnia eius a militibus peruasa sunt:* Palat. et exc., in reg. et Put.: *peruastata sunt:* nescio an non probabiliter illa ab editoribus deserta scriptura est (cf. Amm. Marcell. 24, 3; 31, 3.); Alex. Seu. cap. 17: *tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud se probatum, quod fures fuissent* Palat. et exc., in regio: *probatum esset;* quorum utrum praeferam haereo; ibidem cap. 30: *nonnunquam et orationes et poetas in Palat. et exc.,* etiam hoc loco dubitari licet utrum illius codicis auctoritas an orationis concinnitas magis respicienda sit, certe in eod. regio *oratores* scriptum est; ibidem cap. 59: *uerum Gallicanae mentes ut sese habent durae ac retorridae* in Palat. et exc., in reg. et Put. altero: *retrorsae;* illud solum probabile est et confirmatum Max. et Balb. cap. 6; in Hadr. c. 14: *fuit enim litterarum et poematum nimium studiosissimus* in Palat. et exc., in regio: *omnium studiosissimus;* quae quamquam non contemnenda scriptura est, tamen haud scio an nata sit ex illa: *nimium studiosissimus* emendata; ubi uocabulum *nimium* glossam esse conicio, persaepe enim quae in Palat. codice corruptae quidem scripturae deprehenduntur, eas in regio male mutatas esse intelleximus; qua de re explicate dicemus in dissertatione de horum scriptorum codicibus; quorum qui extant iam hoc loco affirmare licet omnes e libro manuscripto etiam ipso lacero uarioque corrupto derinatos esse; porro Hadr. cap. 23: *peragratis sane omnibus partibus .... in morbum incidit lectualem,* in Palat. et exc., in reg. *letalem* quorum etsi illud iuunditum et nouum tamen dubito an similiter atque adiectiuum *censualis* in Gord. cap. 12. usurpatum sit.

Consulto praemisimus excerpta, quae a Palatino codice

non discrepare intelleximus; quum ex inanium scripturarum consensu sententiae probabilitatem nostrae cincere cuique in propatulo sit.

Jam ea sequuntur, quae ita a cod. Palatini scriptura abhorreut, ut nunc prava earum uane probabili mutatione discrepantiam uatam esse intelligatur. Alex. Sen. cap. **10**: *uideo quid uos moueat ad hoc nobis addendum* Palat; *ad hoc nobis nomen addendum* exc., reg. Profecto indoles orationis quae ub iis uerbis exordium caput petit ut nomen addatur. Hadr. cap. **14**: *et de suis dilectis multa uersibus composuit, amatoria carmina scripsit:* Palat. reg., posteriora interpretis alicuius uerba esse quam alia tum maxime copulae defectus probat, nec uero Gruteuus nec Salmasius excerptum contracta cod. Palat. scriptura natum esse: *(amatoria carmina uersibus composuit)* perspexeruut. In cap. **17**: *uerum alia die quum plures senes ad prouocandam liberalitatem principis pariter et se attererent* Palat., *pariter et se parieti attererent:* reg. et exc., temere uisi forte omnino scribi praestitit: parieti et se attererent; neque abest suspicio quin uox *parieti* (teste Grutero) integri codicis uerbis adiecta sit ab eo qui e Spartiani scriptis excerpere Salmasio uisus est; Clod. Alb. cap. **6**: *dandi stipendii facultatem et pallii coccini utendi:* Palat., *coccinii* exc.; probanda est Pal. scriptura; quanquam alibi mire terminata adiectiua ibi reperiuntur, ut in Clod. Alb. c. **5**: *unde illi ioco nutricis etiam porphyri nomen inditum est*, ubi porphyrei uei porphyrii uei purpurei scribendum erat, porro Alex. Seu. cap. **25**, nummos plurimos figurauit et quidem electros aliquantos; ubi electreos necessario scribendum est.

Ex qua collatione quum satis pateat qui Salmasio ex integris Spartiani libris excerpsisse uisus sit eum totum pependisse e cod. Palatino, duo praeterea adiici necesse est, quae opinionem illius funditus euertant. Vnum in eo consistit, quod in excerptis idem qui in cod. Palat., editione Mediolanensi et Veneta ordo uitarum reperitur, ibique potius dislectae sae quam apte ex se uexae sunt, quas quidem turbas quis dicat iam in scriptis fuisse Spartiani ipsius certo quodam consilio et ordine uitas pertexentis? Ergo qui excerpsit non minus codicem Palatinum quam editor Mediolanensis inspexisse censendus est. Alterum, quod maxime rem causamque continet, eo nititur, quod etiam e sex prioribus uitae Maximini capitibus excerpta Graterus extare dixit enotauitque [*]) fere illa cum

[*]) Cf. Grut. ad. adnot ad cap 6 Maxim.

Palat. codicis scripturis consentientia, ut iam manifesti erroris negligentiaeque Salmasium summum alioquin uirum conuincere liceat, quippe qui Maximini cap. I. hanc notam adiunxerit: *„Hucusque Spartianus Superiores enim omnes uitas tam liquido mihi liquet, quam nullum alium praeter Spartianum earum auctorem merito posse uideri. Hactenus enim Spartiani excerpta antiquissima et optimae notae, quae quidem excerpta in Alexandrum Seuerum desinunt eumque omnium, quae praecesserunt, uitarum auctorem recte faciunt Hinc igitur incipit Iul. Capitolinus.“* Ergo igitur qui o Capitolini quoque uita excorpsit eum non tam Spartiani quam omnium historiae Augustae scriptorum uitas easdem quae ad nostram aetatem perlatae sunt cognitas habuisse necesse est.

Jamne igitur codicis Palatini et regii testimonium de uitarum auctoribus minime congruens sequamur? Abnuo equidem at qui maxime. Illi enim ut breui probem ear omnino diffidi oportere credam: uitae Valeriani, Gallienorum, triginta tyrannorum, Claudii iis in libris Capitolino assignatae sunt, quamquam testimonio Vopisci apertissimo quasi necessitate adstringimur ut eas a Trebellio Pollione scriptas esse statuamus, cf. Aurel. cap. II. — at enim praeter Trebellium Pollionem etiam Capitolinus easdem uitas pertexuit, quaequae in historiam Augustam quasdam librarii receperunt secundum codices non Pollionis, sed huius opera factas esse nos existimare necesse est. Uerum in uitis illis mirum est, quod quamuis triginta tyranni imperante Gallieno non exstiterint tamen ejus appellationis causa scriptor non legitimis 28 principibus duo qui alio tempore uixerunt adiecit atque uno libello comprehendit [8]); quam ipsam curam idem Uopiscus in Firmi cap. 1 Trebellium Pollionem ostendisse aperuit, ut quae hodie circumferantur uitae triginta tyrannorum, Claudii, Ualeriani, Gallienorum minime dubium esse queat quin Trebellii Pollioni, non Capitolino tribuendae sint.

Uera autem nisi Uopisci scripta extarent, ea de re quaestionem instituere dubitaremus, quia quem codices exhibent auctorum recensum haudscio an quodammodo tacri liceret [9]): Sic enim Spartianum, Lampridium, Capitolinum omnium quos Aurelianus secutus est principum integram quemque historiam contexuisse diceremus, ex qua postea quispiam librarius

---

8) Cf. Trebelii Poll. trig. tyr. cap 31.

9) Cf. Casaub. proleg. edit. (in Lipsiensi horum scriptorum editione pag. 28 et 39.)

Spartiani Hadrianum, Ael. Caesarem, Did. Iulianum, Seuerum, Pesc. Nigrum, Caracallam, Getam; Lampridii Commodum, Heliogabalum, Alexandrum Seuerum, Diadumenum; Capitolini Titum et Aurelium et Uerum Aug. Antoninos, Heluium Pertinacem, Clod. Albinum, Opil. Macrinum, Maximinos, Gordianos, Max. et Balbinum, Valerianos, Gallienos, triginta tyrannos, Claudium seligeret. Qua ratione conflata e libris nonnullorum scriptorum historia Augusta alius aliam uitam temere diceretur de composito contexuisse.

§. 3.

Verumenimuero illo modo minuta librorum auctoritas manebat ac uirorum doctorum spes rei controuersae dirimendae ad irritum redactae acrius stimulabant nos, ut de integro e narratione uitarum auctores erueremus codicum neglecto testimonio. Neque enim Dodwellus, qui de scriptoribus hist. Augustae uberius ceteris egit, pleraque non reliqua fecit. Tam ille unus criticae artis praecepta secutus est, ut de Spartiano, Lampridio, Capitolino, Vopisco prorsus indignam erudito ceteroquin ingenio suo sententiam dixerit. Ac ne disquisitio nostra eius refutatione distineretur, praemittenda esse duximus, in quibus proba ratio cerneretur criminationis illius. Primum quidem Dodwellus a praeceptis dignoscendorum auctorum sibi acceptis nunc stetit nunc discessit, ut quae omnino sequenda esse docuerat, mox ipse oblitus esse aut futilitate eorum perspecta prudens deseruisse uideatur. Quamuis enim Hadr., Veri Caesaris, Antoniorum, Veri Augusti, Commodi uitas a Spartiano scriptas esse sumpserit, quod in iis earundem rerum consimilis narratio reperiretur (cf. pag. 43—47.), tamen Cassianam uitam eidem deberi negauit, quam etiam ipsam cum M. Aurelio partim congruere intellexit (pag. 49, 50) ergo nisi aliae causae accederent non ex historicis quae dicuntur testimoniis petitae Dodwellus eius conuenouo rationem tantam habere non debebat; in Pescennio narrationem uerbis iisdem atque in Seuero passim expressam adeoque quod in una idem in altera peccatum esse (pag. 57), Caracallam denique legentes uitam Seueri legere iuberi (pag. 63) uidit, neque haec tamen iam unius scriptoris earum uitarum indicia habuit, sed Seuerum Lampridio, Nigrum et Caracallam Capitolino uindicauit, contenditque eodem fonte utrumque usum esse (pag. 57—63); sic imprudens ipse euertit, quae de Hadriano, Ael. Caesare, Antoninis, Ael. Augusto, Commodo dixerat; cur enim similitudinem

narrationis, quam his in nitis deprehenderat, non eadem ex causa repetiit neque Spartianum Hadriani et Ael. Caesaris, Capitolinum Bononii et Aurelii et Veri Antoninorum, Lampridium Commodi scriptores eundem quemque auctorem transcripsisse statuit? Idem quum Capitolinum Graecos et Latinos rerum auctores consulere solitum perspexisset: (pag. 66,) Pescennium, Caracallam, Getam nullum Graeci scriptoris uestigium prae se ferentes illi assignauit; uiam quaestionis solam eam esse contendit, qua ex sua quisque narratione scriptor cognosceretur (pag. 42), tametsi de Cassiana uita quaerens a codicum auctoritate profectus est (pag. 49); nomine principum, ad quos codices proderent uitas datas esse, in Commodo, (pag. 47) Juliano (pag. 48), Senero (pag. 57—61) fidem mereri concessit, contra in Pescennii, Macrini (pag. 67 et 72) uitas nomen Diocletiani librariorum temeritate illatum esse statuit. Verum in eo genere quaestionis non ita agendum est, ut ubi a certis indiciis cognouimus a librariis mutationes factas esse codicum testimonium aliquamdiu spretum mox fide dignum habeamus, in quo procliue periculum est affirmandi id quod probare aggredimur et pro uero umbram arripiendi. Et haec quidem inconstantia Dodwella quoque eam fraudem fecit, ut Capitolinum usque a Pescennio scribendarum vitarum exordium cepisse poneret.

Hac accedunt opiniones eiusdem multam uidelicet lucem obscurae rei laturae, si aliis rationibus uterentur. Vitam Seueri ab tertio auctore scriptam (cf. pag. 54—57) et Commodi ultimam Spartianiae historiae esse (ibidem et in pag. 51 et 52) sumpsit, causae tamen ab eo expositae magis Vulcatium Gallicanum ut alterum historiae Augustae scriptorem attingunt; quem ipsum inchoatae a Spartiano historiae reliquos principes addere noluisse maxime e loco corrupto cap. III. (cf. Dodw. pag. 52, 55) concinsit, ubi Vulcatium *„siue iuste siue iniuste"* scripsisse (ut in cod. reg. legitur) facile quidem suspiceris, at nobis historiae Augustae ejus, quae nostram ad aetatem perlata est, auctorem quaedam instituti sui causa nouasse caniicientibus parum satisfacias, praesertim quum etiam haec sententia: *omnes qui imperatorum nomen uel iniuste habuerunt*, apte defendi possit. Ne haec quidem causis nituntur suis, quae eodem loco moultus dixit a Vulcatio nullam praeter Cassii uitam contextam scribendique consilium susceptum esse, ut Spartiani historia absolueretur (cf. pag. 56 init.), quae quo minus probabilia sua sponte sunt, eo diligentiorem probationem petunt. Porro Pescennii et Alex. Seueri eundem scriptorem fuisse ex incerto testimonia elicuit, cf. pag. 74, 76; non enim Salmasius cod.

Palatini scriptoram (*quamnetu libenter*, — teste Grutero: *quam ne tuli ueniter*) corrupit, sed corruptam emendare noluit. Ut uero: *quos ante retuli* integra sint, ne sic quidem in uita Pescennii ueteres illos quaeri necesse est; quia scriptoi in cap. 31 altas eiusdem Achillem et Alexandrum Macedonem commemorauit. Quod scriptor Alexandri in cap. 5 sanctu:em rei nominauit, quae eadem non aperte significata testimonio in Sept. Seuero narrata est, id Dodwelle argumentum esse uideri non debebat, ut qui Septimium conlexuisset eundem Alexandri uitam scripsisse negarut (pag. 75) Vnum enim atque eundem Hadrianum et Ael. Caesarem pertexuisse statuit, quanquam in illius uita non aperto auctore tradita sunt, quae in capite posterioris tertio repetita Maximo se debere Spartianus professus est. Nimiram egregiis an exilibus in scriptis uerseris interest, tam uero peruerse ille scribillabat, ut perpaucis absolueret, quod se copiose expositurum esse promiserat. Denique Dodwelius Septimium Seuerum Victoris com Lampridii uel Spartiani ex parte congruere cognouit, |cuius rui rationem qaum male haesisset utrum huic daci quidem illius atque auctori au Mario Maximio ab utroque transscripto tribueret, tandem dubitare se iunuit an Victor e Lampridia (Spartiano) pependisset. Atque eo ualde notabilem negligentiam uir doctus comprobavit, qui si aliqua sollertia esset in uitis conferendis usus Maximum non solom Sept. Seuero, uerum etiam Caracalio, Getae, Macriao, Heliogabalo, Alex. Seuero conterendis auctorem narrationis a Victore et Spartiauo et Capitolino adhibitum esse iouenisset.

Ac satis de Dodwelli praeceptis uerba fecimus; nec enim diiudicari quicquid ille sensit refert; modo, quae uniuersa senserit, non omnes eriticae ueritatis numeros habere constet.

Caput II.

De Capitolini narratione.

§. 4.

Ac Maximinos, Gardianos, Maximum et Balbinum ab eodem scriptore pertextos esse patet ex eo, quod in quoqua libro haerere se scriptor ipse professus est eundemne Maximum ne Pupienum an duo principes habarat, cf. Max. mal.

cap. 24; Max. iun. cap. 7; porro in tertii eorum quos diximus libri (Max. et Balb.) cap. 15: *tanta est autem historicorum inter se errantium imperitia uel usurpatio, ut multi eundem Maximum quem Papienum uelint dici, quum Herodianus uitae suae temporum scriptor Maximum dicat, nos Papienum, quum et Dexippus Graecorum scriptor Maximum et Balbinum imperatores dicat factos contra Maximum post Gordianos duos et a Maximo uictum Maximinum, non a Pupieno*, ubi quum scriptor alibi nomen Maximi scripserit neglexeritque Pupieni, uera scriptum fuisse: quum Herodianus .... Maximum dicat, non Papienum coniiceremus, nisi haec non ipsius Capitolini, uerum alius scriptoris Latini ab eo inconsiderate transscripta uerba esse doceremur eiusdem uitae cap. 16, 17, 18. Quod enim in cap. 15. acriter ille perstrinxit, idem inferius (in c. 16.) ut probabile amplexus testimonio epistolae confirmavit, ut eiusdem imperitiae, in quam tam acerbe supra inuectus est, mox semet reum cum acri commodo praestiterit. Ex quo causa perspicitur, cur in secundo libro Gord. cap. 10: *inter quos erat Maximus siue Pupienus* et in cap. 19 extr.: *qui* (Gordianus) *posthac* (sic enim necessario scribendum eo loco est) *cum Balbino et Pupieno siue Maximo puerulus adeptus est imperium*: non Pupienus Maximus et Pupieno Maximo similiter atque Clodius (lege autem: Caelius) Balbinus (cap. 20 Maximin. maj., cap. 10 Gordd.) scripserit. Ergone, quispiam occurret, Capitolinus non ipsa Herodiani scripta legebat, si modo uerum est ea quae supra attulimus ab illo esse aliunde assumpta? Profecto ille non modo non ipsius Graeci scriptoris libris usus est, uerum eorum ne interpretationem quidem integram norat. Nam et reticuit nomen Herodiani, ubi continuam eius narrationem transscripsit quaeque sic tradidit eo adiecto auctoris nomine alibi iterum tetigit, et narratio ipsa Herodiani tum continet, de quibus Graecus auctor suis in libris non retulit, tum leniter mutata apud Capitolinum reperitur. In Max. et Balb. cap. 16 testimonio Dexippi et Herodiani Maximus et Balbinus principes a senatu aduersus Maximinum cum puero Gordiano electi esse traduntur, quod intermissa Herodiani mentione in cap. 20 prorsus similiter litteris mandatum est. Ac Maximini maioris uita paucissima eaque admodum leuia continet, quae non in Herodiani libris legantur; extremum cap. 9, cap. 10—15, pars 17, 19—24 si obiter cum Herodiani lib. VII. duodeuiginti prioribus capitibus conferuntur: primo quidem e mera horum interpretatione nata esse intelligi licet, diligentius tamen inter se comparata sententiam nostram stabilire. Nam in capite 20

eorum quos in suspicionem conspirationis addactos itemque in cap. 12 quos in Germania hostes Maxim. occidit Capitolinus certum numerum prodidit, Herodianus definire intermisit; num uera illam quemuis de media sumptam memoriae traditurum fuisse putemus? Praeterea Capitolinus quanquam quemadmodum Maximinus accepto de electione Gordiani Augusti senatui omni ex parte probata nuntio se gessisset persequens (Maxim. mai. cap. 17 init.) mirum quantum ab Herodiano discessit (lib. VII. cap. 18), tamen illi narrationi latentiora huius uestigia admiscuit; quod ex his cognosci licet: Capitol.: *alia die admissis amicis qui eum uidere non poterant consilium habuit, quid facto opus esset sed tacebant, ut qui factum senatus taciti laudabant* (sic enim partim Salmasii, partim nostra coniectura corrigendum locum esse arbitramur) scripsisse pateat; porro Capitol. ibidem: *de consilio ad concionem processit, in quo concione multa in Afros, multa in Gordianum plura in senatum dixit.*

§. 5.

Neque uero narratio tantum uerum etiam oratio, quam Maximinum habere Capitolinus fecit, debetur scriptori, qui Herod. uerbis de suo quaedam adiecit itaque mutationem adhibuit; quis enim neget uerba postrema: *ergo si uiri estis, si uires habetis: eamus contra senatum et Afros, quorum omnium bona uos habebitis*, resipere eloquentiam Graeci scriptoris eadem in cap. 14 extr. lib. VII. dicentis, ac quum Maximinus eadem occasione permotus in Gord. c. 14 uerba faciens inducitur etiam initium eiusdem concionis Herodianiae cognoscitur: cf. uerba: *dum nos in Germania Romanam defendimus potestatem, dum nos Illyricum a barbaris uindicamus, Afri fidem Punicam praestiterunt* cum Herod., at Graeci scriptoris oratio duo in membra ab Latino diuisa esse intelligatur. Atque etiam Gordd. cap. 8 oratio, quam de electione Gordiani Augusti iuuenis habuisse fertur, ex Herodiani (lib VII. cap. 12) partim nata est, quod quidem haec uerba probant: *nos enim, qui procuratorem eius* (Maximini) *moribus et uita consimilem occidimus, nisi facto imperatore salui esse non possumus.* Nihilo tamen minus eae conciones quum aliis rebus tum hoc differunt, quod quam Herodianus apud ipsum Gordianum eam apud plebem Africanam Capitolinus iuuenem habere fecit; ergo hic utebatur Herodiani historiis alius alicuius scriptoris narratione mixtis. Quem Tatium Cyrillum interpretem illius

Latinum fuisse e Maximini cap. 1. admodum probabiliter nobis colligere uidemur, quod quem ille ordinem esset in uitis scribendis secutus eundem Capitolinus se seruaturum esse eo in loco pollicitus est. Ac quamuis ex Herodiano petita sint, quae de Tito accepimus (cf. cap 11 Max.) et Trebell. Poll. cap. 32 ibique Salm.), tamen si scriptor eum ipsum legisset nescio an Quartini, non Titi nomen litteris proditurus fuisset. Quod expressius sane Latini cuiusdam scriptoris indicium est. His cognitis iure ambigas, utrum Tatium Cyrillum Herod. lib. VII. cap. 2 (cf. cum Max cap. 10) respicientem (ille autem, quem modo significauimus, Herodiani locus temere est a Casaubono praetermissus in adnot. ad. cap. 13 Maximini), an ipsum Capitolinum dicas obiurgandum esse, quod de fide Herodiani tam praue senserit, ut eum ab Alexandri partibus alienum Maximino nimis fauisse contenderet. Quamquam posteriorem ineptissima Cyrilli interpretatione uerborum *καὶ ἔμελλε ποιήσειν* (et fecisset si uixisset: cap. 13 Max.) corruptum iudicium fecisse probabilius eo uidetur, quod non integros libros Herodiani legit eiusque de expeditionis Persicae euentu sententiam ab Latinis scriptoribus toto ut dicitur coelo abhorrentem (cf. Alex. Sen. cap. 57) obiter cognitam habuit; qua sola affirmantes Capitolinum inductum esse ut de Graeco scriptore male iudicaret potissimum uerba eius: *quantum uidemus* (Max. cap. 13) respicimus, sic qui scripsit: eum et probrum Alexandri et laudem Maximini Herodianum in libris dixisse suis necesse est. Quorum uero Capitolinus illud in Alex. Sen. cap. 57, hanc in Max. cap. 13 aperuit; nimirum non quod Herodianus clade Persica de qua retulit probrum Alexandro illatum esse manifesto uspiam dixisset sed quod opinionem de illo principi optimo minus honorificam et a publicorum fide testimoniorum (cf. cap. 57) dissidentem concepisset, contra Maximinum splendidas uictorias pollicitum (cf. Max. 13) si uixisset uero consecuturum fuisse existimaret partibus illius alienus esse Capitolino uidebatur, quod contra Casaubonum et Wolfium dictum uolumus; (cf. Wolfii edit. praef. pag. 42). Eundem uero interpretationem Herodiani aliena narratione mistam legisse confirmant nonnullae orationes epistolaeque ad uerba Graeci scriptoris accommodatae. Litterarum enim quas Herodianus principem de Germanica uictoria ad senatum dedisse retulit (VII. 7.) ipse quidem exemplum non edidit, at edidit Capitolinus (in cap. 12) subditicium quidem et ad narrationem cap. 12 superioris effictarum; orationem de euentu belli uniuersi senatui scriptam (cf. init. cap. 13) altoque ab Herodiano silentio praetermissam (cf. cap. 8) in medio posuit, quam non ipse confinxisse

sed ab alio, qui Graeco auctori aliena uerba admiscuerat, homine confictam mutuatus esse cognoscitur ex eo, quod illam integram persequi superuacaneum esse dixit; similiter epistola, quam senatus ad rectores prouinciarum ut ipsi Gordianoque fidem seruarent cohortandos, amandauit, (cf. cap. 15 Max.) ab Herodiano commemorata tantummodo est ac breui narratione expressa (cf. VII., 17), a Capitolino autem ipsa excussa diligentius sic tamen ut sententias illius ab hoc repetitas esse nemo ignoret.

§. 6.

Quod quum Capitolinus dissipatam magis Herodiani quam continuam narrationem adeoque ne illam quidem integram nosset, ac neque fontium quos adibat natura perspecta neu usquam probato ueri inueniendi studio Cyrillum transscriberet urgentibus praeterea Latinorum scriptorum admodum diuersis opinionibus: fieri non potuit quin et mirae in ordinem rerum Herodianium turbae ab eo inferrentur et quaedam iterarentur putidissime. Nam senatus consultum, ex quo Gordiani imperatores uocati sunt, in Gord. cap. 11 tacitum Cordo, opinor, Lat. scriptore praecipiente appellauit, uerum Herodianus concionem tacitam dixit ut Maximus et Balbinus Aug. eligerentur ab ordine amplissimo in capitalio institutam, (cf. VII. cap. 25 cum cap. 28 libri ejusdem) adeoque ipse Capitolinus in Maximini cap. 14 ubi eodem de consilio egit tacitum senatusconsultum, quasi omnino non cognitum habuisset, ne uerboquidem commemorauit; scilicet in Gordianis Cordum, in Max. maiore Cyrillum fere exscripsit; tria porro in cap. 23 Gordianorum miscuit, ut plane inauditas ac nouas res ibi prodiderit; nec enim tum senatores in Capitolio (sed in curia) congregati fuerunt, quum seditio praetorianorum per Maecenatem et Gallicanum effecta est, (cf. VII., 28) nec eodem tempore ib id ortus tumultus, quod milites Gord. tertium principem efflagitabant, (ibidem et cap. 26 lib. VII. Herod.), nec denique ueterani ad curiam concurrerunt, quum tertius Gord. esset Aug. appellatus. Duarum quidem seditionum et causam et tempora Capitolinus confudit, de quibus consulenda sunt Herod. lib. VII. cap. 26—29. Ac quum Capitolinus in Maximi et Balbini uitam excepta capitalis illorum principum inuidiae expositione (cf. cap. 14. cum Herod. VIII., 21.) praeter ea, quae supra attigimus, nihil ex Herodiano transcripserit nec toto in libro plura de Maximo quam de Balbino uerba fecerit, scripturam cod. Palatini in cap.

15 *haec sunt quae de Max. ex Herodiano Graeco scriptore magna ex parte collegimus* (cf. ibi adnot. Casaub et Gruteri) spernendam esse et quae deletis uerbis *et Maximo* reliqua sit, sententiam eius Latini scriptoris esse perspicitur, quo etiam in Maximinis et Gordianis contexendis partim usus sit. Nam Maximini majoris uita paene omnis, Gordianorum, Max. et Balbini exigua tantum pars conflata ex Herodiani narratione est, cur igitur non jam primo in libro illud scriptor confessus est, in quem uerba ista aptius quam in tertium conuenirent? Ergo Cyrillum Herodiani interpretem eundemque uitarum earum auctorem in extremo Max. et Balb. probabile est ea dixisse, quae etiam superiores uitas attingerent. Quod enim deinceps de imperitia historicorum Maximum et Pupienum eundem fuisse sententiam dixit, etiam haec alius ejusdam, qui Graecos auctores ab Latinis accurate discreuit, scriptoris peruersum iudicium haberi oportere supra docuimus.

Ac Dexippum Graecum auctorem ex eodem, ex quo Herodianum, scriptore Capitolinus cognouit; quod ipse quodammodo in princ. Maximinorum significauit, ubi Cyrillum non solum Herodiani uerum omnino Graecorum interpretem Latinum dixit. Ac Dexippo ille secundas partes tribuit ut cuius rara narrationem transscripserit huiusque frusta potius ac fragmenta quaedam Cyrillus uidetur Latina reddidisse, quibus Capitolinus similiter est atque Herodianis usus. Nam in Max. et Balb. cap. 16 ualde incommodo loco mulieres Aquileienses capillis arcuum neruis usae esse traduntur testimonio Dexippi; quam rem bis non citato auctore praemisit, ibid. cap. 11 et Max. iun. cap. 7; similiter in cap. 6 Max. iun. scripsit, quod in Gord. cap. 10 repetiit, in quo posteriore illum Graecum scriptorem etsi laudatus non est, tamen transscriptum esse e proxime praecedentibus patet. Ac quoniam auctorum quos Capitolinus sequabatur nullus praeter Dexippum de uiginti uiris aduersus Maximinum missis disseruit (alio enim pertinent Max. et Balb. cap. 12) oratio Gord. cap. 14 inserta in qua princeps illos commemoret dubium esse non potest quin ab interprete Herodiani et Dexippi profecta sit, quum prior pars ex illius, ex huius uerbis posterior constet.

§. 7.

His auctoribus Capitolinus Cordi scriptoris Latini nugas ineptiasque addidit; qui obscurea tantum principes descripsisse et ex Opil. Macr. cap. I. et eo cognoscitur quod Maximini minoris (cf. cap. I. 2—5) Gordiani iunioris (cap. 17 et

21) ac tertii (cf. cap. 22, 27, 31, 34), deinde Maximi et Balbini (cf. cap. 5 et 12) uitas paene integras ex ciua illa scriptis composuit. Eandem licet Capitolinus propter putidam rerum levissimarum aerrationem aliquoties acerbe perstrinxerit (cf. Gord. cap. 21 et Max. et Balb. cap. 4), tamen adeo est auctorem amplexus, ut cum continuatione quaedam narrare diceret, ne quae ille dixisset, ipse praetermissa argueretur (cf. cap. 2. Max. iun.); ab eo litterarum exemplum patiuit in cap. 14 Gord, eidemque epistolam cap. 3 Maxim. iun. insertam tribuimus, cui Capitolinus haec praemiserit: *sane nequid praetermissum uideatur*. Atque licet hice Latinis scriptoribus plures nosset (Vulcatium Terentianum, cap. 21 Gordd., Curium Fartuentianum Max. et Balb cap. 4 et 18;) Cordum tamen fere solum transscripsit, at cuius libri apud eum tantum quantum e Graecis Herodiani uoluisse uideantur. Iam quum Dexippi narrationem ab reliquorum scriptorum discreuerimus, Cordi autem uestigia tum e rerum inanium, quas dicitur memoriae prodidisse, indole tum ex opinionibus eius a Graecis auctoribus discrepantibus cognoscantur, quas Cardus scripserit etiam ibi facile dispicere licet, ubi eius nomen perscriptum non est. Huius igitur narrationem esse probabiliter coniicimus in Max. mai. cap. 1—9, cap. 16, cap. 17 partim, cap. 25; Max. min. cap. 1—5; Gord. maj. 2—7; 11, 13, 16; Gord. iun. cap. 17—20; Gord. test. 22—34 nisi quae ex Herodiano deprompta ibi apparent (in cap. 22 et 23); Max. et Balb. 1, 2, 3 (cf. aduot. Casaub. et Salm.) 4—7; (de hecatombo) 12, 13 partem posteriorem.

Verum adhuc ostendentes, uitas Maximiaarum, Gordianarum, Max. et Balbini ab eadem scriptore conlextas esse et quo pacto ille esset in iis scribendis aersatus expandentes iure diceremur disiectiora fecisse a consilio dissertationis nostrae, nisi praeterea extaret, quibus rebus Capitolini narratio ab reliquorum aitis scriptoram differet. Nam eas, quas diximus uitas Capitolini esse nemo negauit. Docet enim hoc ac persuadet ut omnium librorum mira consensus sic narrandi genus a uitis quas fere Spartiano tribuuntur immane quantum dissideas, fidem faciant uitae Trebellii Pollionis in codicibus fere Capitolino tributae qui error quomodo natus sit, neodum a quaquam explicitum esse anotiens statun in antiquissima quodam libro iamiam deperdito et fonte qui extant omnium aitis Capitolini proxima adiunctas fuisse Trebellii Pollionis, cuius nomen primae earum (Philippo) praemissum esset deinceps uero

pronomine: *eiusdem* significaretur (ita fere: *Trebellii Pollionis Philippus; eiusdem Decius, eiusdem Valerianus, eiusdem Gallienus et cet.*); quum uero membrana Philippi ac Decii uitas comprehendens extincta esset fieri non potuisse quin qui a lacero libro suos codices deriuarent, alii uocabulum „eiusdem" ad Capitolinum referrent, alii omnino (ut est in regio cod.) nomen significare omitterent. Quam coniecturam nostram magnopere confirmant uerba librarii uitae Max. et Balb. subiuncta in cod. Palat.: *explicit Iulii Capitolini Maximus siue Pupienus et Balbinus, incipit eiusdem Valerianus.* Quare etsi Valerianorum, Gallienorum, triginta tyrannorum uitae Trebellio Pollioni tribuantur necesse est, tamen proxime iis praemissae Maximinorum, Gordianorum, Max. et Balbini, quae fraudis illius ansam praebuerint, certissime a Capitolino scriptae sunt.

§. 8.

Iam autem perspecta plurium Capitolini uitarum indole certa eius scriptoris indicia haberi haec licet: quod et Graecorum et Latinorum scriptorum ibi narratio reperitur, atque in illis Herodianum et Dexippum, in his Cordum, qui potissimum transscriberentur dignos scriptori uisos esse; deinde quod maxime caussam fert orationes atque epistolae ab illo receptae subditiciae pleraeque sunt, quales quidem tantum abest ut Spartianus assumpserit, ut nisi certa quadam lege (de qua infra dicetur) litteris nullas omnino mandauerit. Nam quod Wolfius in praef. Herod. sui uniuerse dixit Latinos hist. Aug. auctores certum esse literas ex actis publicis petiuisse id in Capitolini certe libellos non conuenit; adeoque orationes Maximino tributas quas ille ab Herodiani concione multum diuersas esse putabat, (Maxim. mai. cap. 18 et Gord. cap. 14) decerptas ex hac sententias prodere supra probauimus; ut quod de Graeco scriptore, idem de Capitolino uirum praestantissimum sentire debuisse necessario consequatur. Orat. cap. 18 Max. insertae fidem Casaubonus et Salmasius iure addubitarunt, alteram unde mirer hunc e monumentis publicis depromptam existimauisse post collationem a Casaubono (in edaot. ad Max. mai. l. l.) institutam, qua in posteriori oratione prioris sententias repetitas esse probaret.

Atque haec duo etiam in uitis Macrini et Diadumeni cernuntur, quas minime dubitamus ei scriptori uindicare, qui Maximinos, Gordd., Max. et Balbinum perlexuit; qui quum in Macrini cap. 1. Iunium Cordum ob inutila eius consiliam

alias pertexendi principum obscuriorum atque ob plenam rerum futilissimarum narrationem reprehenderit; non solum cognitos sibi libros Cordi fuisse ostendit, uerum etiam prorsus ita ut scriptorem Gordianorum (cap. 21) de illis ac sensisse innuit. Porro in cap. 9 et 10 continua Herodiani narratio reperitur, quam illi Graeco scriptori, non alii cuiquam tribui oportere discas e capitis 10 uerbis: *sciendum praeterea, quod Caesar fuisse dicatur, non Augustus Diadumenus puer*, quam discrepantem ab aliis scriptoribus sententiam Herodiani esse Diadumeni auctor in cap. 2 dixit. Ergo Capitolinum Macrinum et Diadumenum idem quod Gordianos et Max ac Balbinum scribenti accidisse uidemus, ut de quibus in una uita non adiecto auctoris nomine retulit, ea in altera traderet auctore citato. Eundem enim Diadumenum quem Macrinum conlexuisse mox docebimus. Accedit uero illuc, quod scriptor quum epistolas in uitam Macrini intulit, tum a se allatarum exempla non tam uere scriptarum imitatione facta quam fide digna habuit. Sententiam enim orationis Macr. cap 6 ab ea quam uere principes cum senatu communicarunt multum abhorrere cognouimus e Dionis Cassii lib. 78, cap. 37; ubi, quas Graecus scriptor ab Macrino et Diadumeno litteras senatui missas esse dixit, easdem cogitauit Capitolinus, quum earum uterque meminerit, quas Macrinus senatoribus de suo filiique imperio primas tradiderit. Jam uero ille locupies profecto eius rei testis, ipse enim curiae quum de nouo illorum principatu agebatur senator intererat, mali ominis affirmat epistolam indicium ostendisse, quae quamuis de patre ac filio inscripta mentionem tamen Diadumeni Antonini contineret nullam. Atqui in Capitolinia oratione non modo non neglectum nomen Antonini est, uerum praeter Macrini Augusti delectum honores quoque expositi sunt, quos Antonino puero milites decreuerunt. Jure igitur ea ex ingenio scriptoris alicuius actorum publicorum monumenta imitantis nata esse existimatur.

Atque ut in Macrino sic in Diadumeno, ubi iam certum narrationis Capitolinae indicium latere breui diximus, quasi uere scriptarum epistolarum exempla prodita sunt, quas ex ipsis facile intellectu est non ab iis factas esse, a quibus scriptor putauerit. Quanquam enim certam rem non habemus, qua litteras ab Macrino uxori suae et patri a Diadumeno datas (cf. cap. 7 et 8) cuincamus insiticias esse, eae tamen in iis sententiae leguntur, quae quouis ab homine mediocriter duntaxat illorum condicionis perito epistolae adhiberi potuerint. Praeterea idem in Diad. quod in Macr. indicium scriptoris de Antoninis est; in cap. 3 huius alias

qui principes Antonini nomen, qui cognomen uel praenomen acceperint explicatur, atque in illis Ant. pius, phil., Ver., Comm., Carac., Geta, Diad., Heliog., in his duo Gordd., Seu., Pert., Jul., Macr. numerantur; quod quidem discrimen omne est in Diad. seruatum (cap. 7), idem praeterea enuntiatorum ordo atque eadem uerba, quibus illud significaretur, retenta sunt. Quo de re nihil in Geta et Car. nec in superioribus quidquam Antoninis traditum est, licet illa de appellatione ibi multo aptior locus disserendi sese obtulerit. Neque tamen cur hoc ita se habeat mirandum est, quum alii auctori eas, quas modo diximus, uitas, alii Macr. et Diadumenum debeamus. Quem ipsum ut eundem Gordianorum auctorem fuisse contendam inducor contentione horum locorum: Macr. cap. 3: *nec inter Antoninos . . . . . non Antonini* et Gord. cap. 4 *tantum autem . . . . adscripserit* (cf. etiam Gord. iun. cap. 17). Neque praetereundum est cum pluribus numero Loliuis scriptoribus Diadumenum ac Macr. pertexentem usum esse; de Mario Maximo cf. Macr. cap. 7 (*Var. Heliogabalus*) cum Heliog. cap. 2 et 11 *(Horum pleraque Mar. Maximus . . . .)*, praeterea Diad. cap. 8 init. cf. cum Vict. cap. XXII med., Lollium autem Vrbicum ita in Diad. Capitolinus (cap. 9) ut alios auctores ceteris in uitis citauit: *quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit*, Max. et Balb. c. 15: *Herodianus uitae suae temporum scriptor*, Gord. cap. 21: *Vulcat. Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam*, Alex. Seu. 37: *Gargilius Martialis eius temporibus scriptor*, ibid. cap. 52: ut Herod. Graecus scriptor refert in libris *temporum suorum*. Nam iure nostro abstulimus eos locos Alex. Seueri, cuius uitam iisdem de causis non possimus non Capitolino tribuere. Et ea quidem ibi apertiores quam in Macr. et Diad. sunt. Narratio enim Herodiani et Dexippi passim apparet, ut fragmenta eius tum sine certo consilio auctoribus Loliuis admista, tum aliquoties non facta mentione fontis ex quo manauerint transscripta sint. Herodianum in capp. 52 et 57, Dexippum in cap. 49 citauit Capitolinus, praeterea illum silentio praetermittens exscripsit tamen in cap. 59, quem locum interpretans Casaubonus temere nobis illum obiurgasse uidetur, quod quae Herod. testimonio μικρόλογος (cf. lib. VI c. 17 et 18 extr.) et *sordide* parca fuisset, ab illo auara tantum appellata esset. Et enim ex Herod. uerbis, quae Capit. aperte respexit, et a uocabulo: *cupidam*, quod per se non aptum sit, scriptum fuisse: *putidam* intelligi licet.

Porro epistola (cf. c. 56) atque oratio (cap. 58) Ale-

xandri in uita reperiuntur, quarum posteriorem nemo concesserit eam esse, quam ille uere habuerit, priorem autem a senatus actis petitam alienis, non suis uerbis Capitolinus affirmauit, qui quum in annalibus quaedam se reperisse ait, (c. 57) ne sic quidem arbitratu nostro fidem meretur, utraque enim Mar. Maximus, qui haud scio an praefectus urbi imperante Macrino esset (cf. Dio Cass. l. LXXVIII, c 14) (c. 5, 31, 48, 65 Alex.), aut Achaius, aut denique Eucolpius, quo Alexander familiarissimo usus est (cf. cap 17) enoluisse censendus est; ab eorumque uno mutuatus esse Capitolinus. Nos Achaiium actis usum esse coniicimus e cap. 64, ubi ualde probamus Lipsianum coniecturam: *intima*, non itinera scribendum esse. Confirmaut uero sententiam nostram a Capitolino Alexandram contextum esse mentio Herodiani in cap. 57 iniecta, quam ipsam Cap. in Max. m. cap. 13 respexisse probabile esse ostendimus, porro probrum ab eo Cordo factam (Macr. I), quod praetermissis illustribus principibus obscuriores tantum contexuisset, quo se Cap. praeter Clod. Alb., Macr., Diad. homines lauda indignos etiam clarum principem descripsisse professus est, uerba denique cap. 35 Heliog. cum Alex. Seu c. 64 mira congruentia, quorum illa Capitolinia esse infra efficiatur.

Caput III.

De Spartiani narratione.

§. 9.

Atque ut in uniuersum dicam, ex quo quid inter Capitolini et Spartiani scripta intersit perspiciatur, ille uitas a pluribus Latinis Graecisque scriptoribus composuit, hic solo Mario Maximo in scribendo auctore usus est. Quod ut exploraremus maxima similitudo narrationis inter Victoris eius qui de Caesaribus scripsit et Spartiani Sept. Seuerum intercedens fecit, quae tanta est, ut iis, quae Victor adiecit de suo et concisae studio orationis utrique contraxit exceptis prorsus eandem rerum narrationem uterque cognoscatur memoriae prodidisse.[1])

[1]) De ea consensu narrationis cf. Schotti, Annae, Gruteri, Arntzenii adnott. ad cap. XX Vict., Casaub. et Salm. adnott. ad Sp. Seu. capp. 17 et 18.

Qua re quum universa de Spartiani scriptis doctrina nostra niteretur, eius quem modo profitebamur consensus rationem planius significandam esse existimabamus. Primum quidem utriusque Scr. collationem instituere uisum est. Vict. in cap. XX haec de Seuero tradidit: *Velut Seuerum ipsum, quo praeclarior in republica fuit nemo, quem*[2]*) quanquam exacta aetate mortuum iustitio elogioque lugendum sanxere adstruentes illum iustum nasci aut emori minime conuenisse scilicet quod corrigendis moribus nimium postquam ad ueterum innocentiam quasi mentium sanitatem peruenerant clementem habuere* — Spartianus consimiliter de eodem in cap. 18: *de hoc senatus ita iudicauit, illum aut nasci non debuisse aut mori, quod et nimis crudelis et nimis utilis reipublicae uideretur;* porro ibid. Vict.: *horum infinita caede crudelior habitus ac cognomento Pertinax, quanquam ob uitae parsimoniam similem ipsum magis adsciuisse plures putent: nobis meus ad credendum prona acerbitati impositum; nam cum quidam hostium, quem tamen uti bellis ciuilibus solet condicio loci ad Albinum detulerat, caussa exposita nouissime conclusisset: quid, quaeso, faceres, si tu esses? ille respondit: ea perferrem, quae tu;* — eadem Spart. expressit ita in cap. 17: *denique cognomentum Pertinacis non tam ex sua uoluntate quam ex morum parsimonia uidetur habuisse*[3]*) nam et infinita multorum caede crudelior habitus quum quidam ex hostibus eidem se suppliciter obtulisset atque dixisset: ipse*[4]*) quid facturus esset, non mollitus tam prudenti dicto interfici eum iussit.* Vict. ibid: *At iste delendarum cupidus factionum quo deinceps mitius ageret necessitudinem facti ulcisci maluit, ne paullatim .... procederetur ... felix ac prudens, armis praecipue adeo ut nullo congressu nisi uictor discesserit auxeritque imperium subacto Persarum rege nomine Abgaro. Neque minus Arabas simul adortus ut est in ditionem redegit*

---

[2]) In cod. scriptum est: qui quanquam; id quum Schottus iure mutauerit atque emendauerit probabiliter: mireris Arntzenium intolerabili illi scripturae adhaerescentem.

[3]) Deest ad nexus integritatem asperitatis notatio; id uero Spartiani non librariorum negligentiae tribuimus, qui Maximam negligenter transscribens nescio an haec omiserit: quanquam alii putant acerbitati impositum. Similis enim incuriae exempla infra afferemus.

[4]) Sic scripsimus, ut sententiam ad Victoris et cod. Pal. uerba proxime accedentem efficeremus.

prouinciae modo, Adiabena quoque ni terrarum macies despectaretur in tributarios concessisset. Ob haec tanta Arabicum, Adiabenicum et Parthici cognomento patres dixere. His maiora aggressus Britanniam, quae adeo[5]) *utilis erat pulsis hostibus muro muniuit per transuersam insulam ducto utrimque ad finem oceani, quin etiam Tripoli, cuius Lepti oppido oriebatur, bellicosae gentes submotae procul. Quae facta ardua facilius eo patrabantur, quod*[6]) *implacabilis delictis strenuum quemque praemiis extollebat*; — Spart. in cap. 17 et 18: *Fuit praeterea delendarum cupidus factionum prope a nullo congressu nisi uictor* (discessit.) *Persarum regem Abgarum subegit, Arabas in ditionem, Adiabenos in tributarios coegit Britanniam, quod maximum eius imperii decus est, muro per transuersam insulam ducto utrimque ad finem oceani muniuit, unde etiam Britannici nomen accepit Tripolim unde oriundus erat contusis bellicosissimis gentibus securissimam reddidit ac populo Romano diurnum oleum gratuitum ac foecundissimum in aeternum donavit.*[7]) *Idem cum implacabilis delictis fuit, tum ad erigendos industrios quosque iudicii singularis.* Atque haec hactenus. Nam quae praeterea uterque de seueritate in latrones Seueri, de uitae ob eo scriptae fide, de seditione militum in Britannia facta, de morte principis, de nomine Antonini filiis tributo tradidit, eodem iure persequi nobis licuisset, nisi Victoris et Spartiani narrationem et sententiis et uerbis congruere iam satis e superioribus intelligeretur.

Neque in Vict. Caracalla (cap. XXI) ulla sententia reperitur, quam non Spart. expresserit uerbis iisdem, de nomine Caracalli cf. Vict. c. XXI init. cum Spart. cap. 9 med., de bello Alemannico Vict. l. l. cum Spart. cap. 10 extr., de

---

[5]) Sic Schottus scribendum rebatur, certe reliquis interpretibus probabilius; ego cui ne Schotti quidem emendatio omni ex parte placeret, cogitabam scripturam: quae ab eo utilis erat, maxime quidem uerba Spartiani: quod maximum eius imperii decus est respiciens.

[6]) In cod. legitur: qua, haud dubie id quod nos scripsimus Victoris ipsius est.

[7]) Sic necessario scribendum est; Casaub. assentiente Salmasio: . . . in aeternum agrum donauit. Verum neque in codd. Pal., reg. Pat. uocabulum: agrum legitur, neque in cap. 23 Spart. ullam agri donationem meminit, quanquam ibi de frumenti et olei munificentissima largitione dixit. Jam autem eandem frumenti largitionem in cap. 8 attigit, ut hoc loco (cap. 18) scriptorem de oleo tantum scripsisse consequatur.

Juliae impudicitia cf. Vict. l. l. cum Spart. cap. 10 init., de sacris Aegyptiis, de Car. operibus cf. Vict. l. l. cum Spart. cap. 9.

Haec si quaeras eodemne ex fonte uterque an e libris Spartiani Victor petiuerit [8]): eos unius Marii Maximi scripta strenue secutos esse intelligas et ex Vict. cap. XX uerbis: *ea perferrem, quae tu*, quae Spartianus non transcripserit, quanquam eam narratiunculam similiter atque ille exposuit, et e Papiniani mortis narratione sic a Victore litteris mandata: (cap. XX) *quae uictoria Papiniani exitio foedior facta, ut sane putant memoriae curiosi, quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curauisse monitumque uti mos est destinanda* [9]) *Romam quam celerrime componeret dolore Getae dixisse: haudquaquam pari facilitate uelari parricidium, qua fieret, idcirco morte affectum. Sed haec improbe absurda sunt, cum constet satis praefecturam praetorio gessisse, neque incondite illum uirum tantam contumeliam imponere potuisse cui amori ac magisterio erat* [10]); ea Spartianus ita tradidit (in cap. 8 Carac.): *Multi dicunt Bassianum occiso fratre illi mandasse, ut et in senatu per se et apud populum facinus dilueret, illum autem respondisse: non tam facile parricidium excusari posse quam fieri. Est etiam haec fabella, quod dictare noluerit orationem, qua inuehendum erat in fratrem, ut caussa eius melior fieret, qui*

---

[8]) Hoc ab omnibus adhuc interpretibus dubium relictum est, quanquam uerum Casaubonus in adnot. ad Spart. cap. 17 Sev., Carac. cap. 9 suspicione leni ductus attigit.

[9]) In libro ms. Schottus destinando legi affirmauit; destinanda uero eum eo satis refellit Arntzenius, quod nequam praeterea Getam extra urbem occisum a quoquam traditum esse dixit.

[10]) Hunc locum interpretes non intellexerunt, quare cod. scriptura, quam quidem exhibuimus, uarie ab nonnullis eorum mutata est. Casaubonus requirebat haec: neque non incondite. . . . . qui amori . . . . . . uerba illum uirum ad Bassianum referri posse arbitratus; quod nobis quidem ineptum uidetur; Arntzenius desiderabat uocem: ministerio perperam. Quaeritur, quid hoc loco incondite sit; quod omnino significat: publice et non ordinate (inconcinne); quam posteriorem uim obtinet in Jul. cap. XIX Vict. atque etiam hoc loco in quo uersamur, idem ualet, si quidem hoc dicere uoluit Victor: Papinianum praef. praet. in eum, qui ipsum diligeret cuiusque magister esset, id agere non potuisse, quod a praefecturae negotiis omnino alienum esset. Nimirum Victor Maximi uerba melius perspexit Spartiano, qui haec ex illo excerpserit: neque praef. poterat dictare orationem; quae nisi Victor succurreret omnino non intelligerentur.

occiderat, illum autem negantem respondisse, aliud est parricidium, accusare innocentem occisum.' Sed hoc omnino non conuenit; nam neque praef. poterat dictare orationem et constat eum quasi fautorem Getae occisum. — Haec ac superiora inter se simillima esse quis neget? nam in uniuersum ab utroque scriptore idem est eodem modo refutatum; et differre tamen inter se aeque apertum est; ut enim Spartianus maxime posteriorem fabulam, sic priorem Victor Spartianiam, quam omnino solam tradiderit, refellens notauit. Quam discrepantiam quum eo natam esse recte nobis dicere uidemur, quod ex eodem illi auctore sua hauserunt, forsan dixeris Victorem quum Spartiano aleretur alterum fabellam omisisse, quae ipsi a priore non tam re quam uerbis discrepare uideretur; hoc si uerum esset, unde tandem idem Papinianum caedis patrocinandae causa Romam a Caracallo amandatum esse didicisset? Maximus quidem scriptor copiosissimus suis in libris ea de re fere sic uidetur disseruisse: occiso extra urbem Geta Papinianum scriniorum praef. Romam, ubi id facinus Caracallae apud senatum populumque oratione probaret, dimissum neque tamen obsecutum esse; praeterea alteram fabellam extare, Papinianum orationem qua princeps defenderetur scribere iussum recusauisse; quas minime conuenire eo, quod ille tum quidem non scriniis sed praetorio praefectus fuisset, nec qui eo munere fungeretur parum credibile sine sponte esset, sui amantem alumnum tanta afficere contumelia potuisse, ut eum mortem meruisse probaret.

Verum ne nimis diu in re minime dubia probanda uersati esse dicamur, libri Maximi tam uulgati antiquitus tam notique propter narrationis, qua pollebant, ubertatem erant, ut iis praeter Spartianum et Victorem etiam Capitolinus, Vopiscus (cf. Prob. cap. 2), Eutropius (quod e comparatione uitarum M. Aurelii Sp. et Eutr. lib. VIII c. 10, 11, 12, 13, 14 et Sept. Seu. Eutr. lib. VIII cap. 18 perspicitur) in historiis pertexendis uterentur, atque Amm. Marcellini aetate Maximus diligentius quam clarissimi rerum Romanarum scriptores legeretur (cf. lib. XXVIII, cap. IV, § 14). Nec quum eum Spartianus paene solum in reliquis uitis suis citauerit Victorem quamuis scripta illius aetate sua extarent mutilum uel potius dimidiatum quam plenum et integrum Maximum ut rerum auctorem consulere maluisse probabile est.

§. 11.

Ac nobis Spartianum ex unico Maximi scriptis quum Seuerum scriberet pependisse contendentibus hoc obstare

uidetur quod, quae capiti 17 Seu. ab illo praemissa sunt, Victor ne uerbo quidem attigit, ut ea Spartianum aliunde mutuatum esse atque ab Maximo spreuisse, praesertim quum etiam in Caracalla eius multa, de quibus ille non retulit, reperiantur. Attamen alius quiddam Victor Spartiano uitas scribendis spectasse cognoscitur his ex uerbis Spart. (cap. 17): *et quoniam longum est minora persequi, huius magnifica illa, quod uicto et occiso Juliano praetorianas cohortes exauctorauit* et cet., a quibus ipsis etiam Seuerina Victoris uita exordium capit. Ergo, qui rebus leuioribus consulto neglectis grauiores fere litteris commendauerit, potius rerum quam uitarum scriptoris appetiit laudem neque huius exemplo ab ortu principis profectus quae priuatus ille expertus, quid edere, quo se modo uestire, quam quoque die uiuendi rationem sequi solitus esset deinceps exposuit. Idcirco ut e Maximi narratione uerbis, quae supra significauimus, praemissa solummodo ea de Pescennio et Clodio Albino excerpsit, quibus grauissima eorum facta continentur, sic de Seuero dixit res Maximo et ipsi magnificentiores esse uisas. Contra Spart. plenam cuiusque principis et integram uitam litteris consignare aggressus constanter est narrationem illius secutus. Primum de Seu. maioribus retulit copiose, nostra sententia eodem Maximo duce, quod e Getae cap. 2 colligimus: *Geta autem dictus est uel a patrui nomine uel aui paterni, de cuius uita et moribus in uita Seueri Mar. Maximus primo septenario satis copiose retulit*, ex quibus priora uerba Maximum tradidisse probat Vict. narratio (c XX) *Geta cui nomen paterno ab auo erat*, quae supra diximus ex illo petita esse; quibuscum initium uitae Seueri Spartianae comparans ibi Maximinam narrationem esse minime infitiaberis. Deinde in cap. 2 et 3 Seueri pueri adolescentiaque institutionem, primo litteris, tum forensibus actionibus militiaque instructi explicuit; haec ipsa uero Victor in cap. XX (uers. 28 ed. Arntzen) et Spartianus (cap. 18: *huius dictum est quum eum ex humili ...... fortuna duxisset*) breui comprehensa repetierunt, ut Maximum, quo auctore haud dubie illis uterque scripsit, eo ipso loco (Vict. c. XX u. 28 et Sp. c. 18) copiosam rerum superiorem narrationem suam contraxisse quaeque in 2 et 3 cap. Spart. narrauerit, ex illius libris transscripta esse pateat. Atque etiam minime ambigua Maximi indicia in cap. 3 cernuntur; non enim scriptor ex eo quod Seueri uitam ipse legisset in *uita priuata* illum de Marcia uxore tacuisse, uerum e Maximo, qui illa iam ipse usus esset, cognouit. Quae enim in cap. 4 Pesc. Nigri testimonia eiusdem uitae Seuerinae

scripta sunt, haec 'o Clod. Alb. cap. 3 in libris Max. exposita fuisse consequitur; iam uero ex eo Seu. loco principis uitam non obiter solum a scriptore cognitam sed totam curiose perlectam esse intellegitur, ac quum omnino libros Maximinos Spartiano in promptu fuisse capp. 17 et 18 doceamur, ne id quidem de uita Seueri priuato iudicium huius esse apertum est. Qua de re si quid forte dubitationis resideat, hoc quicquid est, dissipent quae inferius de genitura uxoris dicta sunt; nam ea Maximum tradidisse in libris suis auctor Alex. Seu. in cap. 5 docuit. Atque ut huius ulterius uestigia persequamur, in cap. 5 Seu. quicquid de Iuliani fatis extremis traditum est, isto opere cum uitae Iul. uerbis (cf. cap. 6 et 8 passim 8) congruit at eaedem res duobus in aliis iisdem fere uerbis significatae sint, nisi ubi scriptori Iulianum contexenti ea, quae magis hunc quam Seuerum attingerent, illic explicatius tradere uisum est. Quem quidem consensum narrationis nullus equidem sic interpretari dubito, ut uitae utriusque auctorem uni Maximo se emancipauisse dicam. Id ut sentiam quum iis quae modo demonstrabam, tum simili consensu narrationis de Clodii Albini rebus inter Seueri et Clod. Alb. scriptorem intercedente moueor; cuius exempla haec suppedito: Seu. cap. 10: *et primo quidem ab Albinianis Seueri duces uicti sunt*, cf. cum Alb. cap. 9: *et primo quidem conflictu habito contra duces Seueri* (Albinus) *potior fuit*, porro Seu. l. l.: *tunc sollicitus quum consuleret a Pannoniacis auguribus comperit se uictorem futurum, aduersarium uero nec in potestatem uenturum, nec euasurum, sed iuxta aquam esse periturum, multi statim amici Albinum deserentes uenere, multi duces capti sunt, in quos Seu. animaduertit* cf. cum Alb. cap. 9: *denique quum sollicitus augures consuleret, responsum illi est, ut dicit Mar. Maximus, uenturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non uiuum nec mortuum, quod et factum est, nam cum ultimum proelium commissum esset, innumeris suorum caesis, plurimis fugatis, multis etiam deditis Albinus fugit*; porro Seu. cap. 11: *eo tempore lectis actis, quae de Clodio Alb. laudando, qui Adrumetinus et affinis Albini erat, facta sunt, iratus senatui Seuerus quasi hoc Albino senatus praestitisset Commodum inter deos censuit* atque inferius: *deinde Albini corpore allato paene seminecis caput abscindi iussit Romamque deferri idque litteris prosecutus est* cf. cum Clod. Alb. l. l. *caput eius excisum pilo circumtulit, Romamque misit litteris ad senatum datis quibus insultabat, quod Albinum tantopere dilexissent et eius affinem*

et fratrem praecipue ingenti honore cumularent; (cf. praeterea Sev. cap. 11 cum Alb. cap. 9: *de Albini corpore a Seuero male tractato deque uxore et filiis illius*). Idem autem scriptor Albini Maximum bis citauit auctorem eorum, quae cum uitae Seuerianae narratione mirifice congruunt, ut hunc qui scripsit illius libros etiam ipse transscripsisse existimandus sit. Atque etiam in cap. 8 Sev. de Pescennii defectione et bello tradita cum cap. 5 uitae Pesc. separatim scriptae accuratissime consentiunt, nec quod haec etiam uerbis magis inter se quam e Seuero et Clod. Albini excerpta conueniunt mirere si quem Pescennium eundem Seuerum, non eundem Seuerum quem Clodium Albinum scripsisse perpendas. Spartianus autem Sev. et Pesc. auctor partim repetiit, quae in libris Maximi legerat, unde eius cum Victore consensus summus natus est, quem ipsum quoque transscribere illos solitum supra cognouimus. Praeterea Spartianum non omnia quae apud Maximum legerit suos in libros recepisse cognoscitur ex his uerbis Capitolini in Clod. Alb. (cap. 9) denique quum sollicitus augures consuleret responsum illi est, ut dicit Mar. Maximus ......, sed non uiuum nec mortuum, quod et factum est, quae quum a Spartiani eiusdem rei definitione (cf. Sev. 10) dissideant, ob id ipsum tamen temere neges hanc eodem ex fonte fluxisse. Nam e cap. 9 Pesc. his uerbis: *de hoc Pescennio uates dixerunt quod neque uiuus neque mortuus in potestatem Seueri uenturus esset, sed iuxta aquas illi pereundum esset* illic Spartianum et Capitolinum Maximum transscripsisse patet, quia in loco Pescenniano coniuncta sunt, quae partim in uita Seueriana, partim in Clod. Albino leguntur.

Quodsi duodecim priora uitae Seuerianae capita historiam Maximinam repraesentare certum est, idem in reliquis eorum, quae 17 caput antecedunt, conuenire ex aliis indiciis probe colligeremus, etiamsi in cap. 15 Maximi mentio iniecta non esset. Etenim uerba, quae in extremo cap. 12 leguntur, *Commodum in senatu et concione laudauit, deum appellauit, infamibus displicuisse dixit, ut appareret eum apertissime furere* duce Maximo Commodi scriptor in cap. 17 breui significauit, quem eundem atque Seueri auctorem infra efficiemus fuisse; quumque narratio cap. 13 tam arcte e praecedentibus nexa sit ut ea uix intelligi queat, nisi Maximinum de seueritate Seueri factionem Albinianam persequentis iudicium cognitum est, Spartianum usque esse eundem fontem secutum apertum est. Qui quoniam excerpsit potius quam quicquid in Maximi scriptis repererat transscripsit: passim mire uiolatus est nexus orationis. Cuius rei in capp. 14 et

15 plura exempla extant. Nam *Palaestinis poenam remisit, quam ob causam Nigri meruerunt* praemissae narrationi minime aenectuntur ac magna a scriptore levitate admista sunt de Plautiano tradita, quae quidem illis semota praeclare inter se ipsa cohaererent; nec, qua belli Parthici descriptio continetur, oratio nexa est ac quod contrahendae Maximinae narrationis studio tam neglecta sunt, quae ad expositionis integritatem dici referebat, tam interiecta, quae non satis docemur bellone illius an alio tempore acciderint. In cap. 15 leguntur haec: *traiecto denique exercitu a Brundisio continuato itinere uenit in Syriam, Parthosque submouit, sed postea in Syriam rediit ita ut se pararet ad bellum, quod Parthis inferret* (sic enim coniectura nostra admodum probabili legendum est). Verum Seu. antequam in Syriam redisse traderetur eum reliquisse necessaria dicendum erat; idque Maximus, opinor, attigit, incuriose autem excerpens Spartianus angiexit.

Porro neque uerba cap. 14 extr. *multos inter haec causis uel ueris uel simulatis occidit* et quae deinceps sequuntur, neque cap. 15: *inter haec Pescennianas reliquias Plautiano auctore persequebatur* et proxime scripta ex ipsorum nexu statim intellegas superioribus apta esse, quum ad tempus accurate significandum minime sufficiant: *inter haec*, et unde dubitari liceat, bellumne Parthicum gerente an in Syriam regresso Seuero Plautianus reliquias Pescennianas persecutus sit.

§. 12.

Vere igitur quicquid caput 17 praecedat a Maximo Spartianus petiuit; quod reliquum est ut etiam in quattuor posteriora capita uitae ualere probemus. Ac quum cap. 19 partem posteriorem Maximinam narrationem esse contendimus; uerbis Aur. Victoris cap. XX: (deinde laborantibus secundarum initia earumque auctores memoriae sunt) auctore Spartiano longe diuersam ab interpretibus illarum eamque solam probabilem interpretationem adhibendam esse arbitramur. Schottus non solum ea, quae diximus, uerum etiam proxima praecedentia (patrocinio fisci) mire corrupta edidit ac turbas potius loco libidine corrigendi quam lucem attulit. Casaub. (in adnot. ad Sev. I. Spart.) *deinde*, quae uox in cod. est, permutauit uocabulo: *proinde* illud probo intellegens praecedentium nihil mutandum esse (cf. Getae cap. 2), cui *proinde* idem apud Victorem (secundum Cari cap. XXXVIII)

quod *adeo* ualuisse dicenti quo pacto assentiri editores et non ita ualde leuem mutationem probare potuerint non assequor. Atque Victorem his uerbis nihil attigisse probabile est sententiam praecedenti enuntiato subiectam, qui si deinceps significare uniuerse uoluisset quae Seueri et M. Antonini exemplo proxime definiuerat: minime uoce deiu usus esset, quae rem aliquam nouam superioribus adiungat. Iam uero Spartianus obitu et funere Seueri commemorato eiusdemque enumeratis operibus simile quiddum (in cap. 16) sic dixit: *iudicium de eo post mortem magnum omnium fuit, maxime quod diu nec a filiis eius boni aliquid reipublicae uenit et postea inuadentibus multis rempublicam res Romana praedonibus direptui fuit*, quibus continetur sententia: e secordia et prauitate filiorum atque e republica iam ludibrio hostium libidinique obiecta Seueri et publicae felicitatis auctoris gratam memoriam ac gloriosam opinionem in animis ciuium natam esse, et eo quidem Victoris quoque uerbis expressa obscurius sunt. Nam *laborantibus* ad ciuium bono principe carentium et ab hostibus reipublicae lacessitorum condicionem, *secundarum initia earumque auctores* in uniuersum dicta ad partam per Seuerum eoque mortuo desideratam salutem imperii referenda sunt. Quae sententiarum similitudo Victorem et Spart. quum illa scriberent eodem ex fonte pependisse testatur. Ac quod deinceps ille non ita ut Spartianus Seueri uictum, uestimenta, corporis formam descripsit, ex eo consilium res leues praetermittendi, (quod supra proprium fuisse narrationis Victoris diximus) constanter ab eo seruatum esse intelligitur. In capp. 20—24 quae manifestum effici liceat Spartianum e Maximo petiuisse leguntur. Iuliam Bassiani nouercam in cap. 20 ille cum Victore (cap. XXI) dixerunt fuisse, quem e communi fonte errorem conceperint. In cap. 21 Spart. magnos uiros raro claros filios reliquisse eodem Maximo auctore questus est, quod ex his colligas probabiliter: *quid Marco felicius fuisset, si Commodum non reliquisset heredem?* quae eadem in M. Aurelii cap. 18 reperiuntur: *qui (Marcus) si felix fuisset, filium non reliquisset heredem;* nimirum huius quoque uitam e libris Maximi omnem natam esse infra luculenter probabimus. In eodem cap. extremo quae de Carac. nomine ac thermis scripta sunt recurrunt in Car. cap. 9 et Vict. cap. XXI quem e Maximo hausisse quidquid in Car. dixerit sciamus. Neque de cap. 22 dubitamus idem quod de c. 21 affirmare, licet non doceamur initiis manifestis. Illo enim mortis Seuerianae omina continentur copiose quidem exposita, ex qua re cognoscas Maximi narrationem

mythistoricis uoluminibus comprehensam. In cap. 23 et 24 repetita quaedam sunt eorum, quae supra scriptor attigit: dico largitionem frumenti (cap. 8) et olei (cap. 18); porro reuerentiam quam prouinciales mortuo Seuero praestiterunt in cap. 24, secundum quod ita in cap. 19 scribendum est: ipsi a senatu, a gentibus, liberisque eius funus amplissimum exhibitum fuit, atque inter diuos est relatus, denique Septizonium, cf. cap. 24 cum cap. 19, ut, quae in posterioribus illis capitibus dicta essent, tanquam pro supplemento superioris concisae narrationis haberi uoluisse Maximus et Spartianus uideantur. De Seueri signo: *Laboremus*, cuius in cap. 23 mentionem scriptor fecit cf. Pert. c. 5, ubi ea res similiter exposita est; de libris Aelii Mauri, quos in cap. 20 Spart. citauit, infra dicetur.

Caput IV.

§. 13.

Quibus cognitis minime dubia nobis spes oborta est qui Seuerum a Maximo excerpsisset eiusdem in uitis nostram ad aetatem perlatis fore ut alias praeterea inueniremus. Eas enim ad scriptorem referre ac seiungere a libellis Capitolini non tam difficile fuit quam graue negotium nostrum. Nam libros Maximi certissimos Spartiani historiae testes nacti quae in uita Latinorum et Graecorum auctorum aut illorum numero plurium uestigia cernantur, eum ab hoc contextam esse praefracte negamus.

Eandem ob causam Caracallam et Getam Spartiano tribuimus. Nam a Victoris narratione cum cap. 8, 9, 10 Car. mire congrua eam huius uitae partem transscripto Maximo natam esse cognouimus. Nec usquam eorum, quos Capit. secutus est, scriptorum Graecorum uel tenuissimum cuiusquam uestigium latet; contra ab Herodiano fere mirum quantum scriptor Carac. dissentit de eius principis moribus, de caede Getae (cf. cap. 2 Car. cum Herod. lib. IV. cap. 7 et 8) et Carac. (cf. cap. 7 Car. cum Herod. lib. IV. cap. 22—26), ac meminit tantum quae uberius ille explicuit: bellum Germanicum (cf. Spart. 5 cum Herod IV. cap. 12 et seqq.), expeditionem Parthicam (cf. cap. 6 cum Herod. IV, 14—22) et institutam quidem a Caracalla, sed par

matrem intermissam partitionem imperii (cf. Herd. IV, c. 5, 6), cuius rei ne meminit quidem Spartianus. Praeterea in cap. I initio ipse de maioribus Bassiani omisisse se dixit disserere, quod in uita Seueri de iis solis dixisset. Ibidem etsi ob temere praetermissum a librariis uocabulum, quod uerbum *dixit* poscit incerta sententia est, uniuerse tamen idem respici certum est, quod passim scriptor in Seuero tetigit. Perperam quidem Casaubonus e uocibus: *Caesarem, Augustum, Antoninum* secundam superiora quamque scribi a Spartiano potuisse et utrumque (Bass. et Getam) a militibus primo Caesarem, tum Augustum appellatum esse statuit (cf. adnot. ad cap. I Car.). Quoniam enim scriptor militum consilium a patris seiunxit, ineptum esset nomen *Antonini* coniicientem inferre, quod et milites (cap. 16 Seu.) et pater (cap. 18 Seu.) Getae imposuisse traduntur, prorsus autem absonum nomen *Augusti*, quod quum milites in Britannia belli absoluendi causa Bassiano tribuerunt, molestissime pater tulerit (cf. Seu. cap. 18, Vict. cap. XX), quodque Getae patrem aut milites addidisse in Seuero non docemur. Restat appellatio *Caesaris* tum ad uitae Seuerianae narrationem aptissima, ubi Bassianum a patre (cap. 10 et 14), Getam ab militibus (cap. 16) Caes. nuncupatum esse traditum sit; tum hoc loco admodum probabile, quod simili librariorum negligentia eandem uocem in cap. 18 Seu. omissam esse perspicitur e uerbis Victoris cap. XX: *quum aeger bellum moraretur, idque anxie milites ferrent eiusque filium Bassianum, qui una Caesar erat, Augustum fecissent.*

Jam uero aperta Maximinae narrationis iudicia sunt in cap. 2 Carac., quod maximam partem cum Getae cap. 6 tantopere congruat, ut ex uno utrumque auctore exscriptum esse perspicias; cf. etiam cap. 3 Car. init. cum Getae cap. 7 init., nec enim quod in Geta (l. l.) Bassianum e curia regressum matrem feminasque plorantes offendisse traditum est, licet in Car. cap. 3 eadem res Caracalla e Capitolio reuerso accidisse dicatur, ea narrationis diuersitas plurium opinionem auctorum nititur, uerum Spartianus in Geta Maximum negligentius quam in Car. transscribens in illius uita integrum nexum narrationis neglexit, quem seruauerat in posteriore. Aequo simulatam Caracallae affabilitatem tum exposuit (in cap. 7) in Geta, postquam mulierum tristitiam attigit, quoquam in Caracallae cap. 3 princeps illam fertur ostendisse in Capitolio, priusquam moestas mulieres deprehenderet; similiter in cap. 6 Getae de nobilium caede uirorum, ut Papiniani, porro de seditione praetorianorum a Bassiano oppressa, denique de nece Heluii Pertinacis festine in

principio immanitatem inuecti (cf. Getae l. l. cum Carac. cap. 10 extr.) retulit, priusquam est ea persecutus, quae regresso e curia Caracallae acciderunt (cf. cap. 7 Getae), et tamen eadem ipsa in Caracallae cap. 4 probabiliter dixerat tum euenisse, quom e Capitolio in curiam princeps reuertisset; quoniam uero iisdem uerbis expressa sunt, quae ac utrobique alio ordine excipiunt, ambigi non potest, quia Spartianus ea ab eodem scriptore diuerso quidem tempora mutuatus sit. Quem omnino rerum ordinem ausque aequa habuisse uel ex eo cognoscas, quod in cap. 2 Carac. post obitum patris Bassianum in praetoria castra contendisse scripsit, scilicet illum Eboraci uita excessisse atque etiam Caracallam in Britannia tum fuisse apud se non reputauit; ergo id non opinionibus pluriom auctorum discrepantibus a Spartiano exscriptis, sed indiligenter excerpenti scriptori tribuendum est.

Getae et Caracallae eundem auctorem fuisse testatur praeterea promissum in Carac. cap. 11 (*occidendi Getae multa prodigia extiterunt, ut in uita eius exponemus*), quod uero scriptor in Getae cap. 3 persoluerit, ubi tria omina numerauit, quibus quae proxime *de genitura* praemisit ex Alex. Seu. cap. 5. Maximina esse cognoscitur, ut etiam prodigiorum recensum eo ex fonte fluxisse consequatur (cf. porro Carac. c. 11: quod ille pedibus ...... uideretur imperium cum Seu. cap. 18). Ac ne quid dubitationis de sententia nostra relinquatur: in uitis Getae et Carac. epistola et oratio nulla apparet, atque adeo Spartianum, quam apud Maximum legerit, orationem non recepit, uerum eius sententiam breui narratione expressit: cf. Car. cap. 2: tunc. ..... curiam ingressus est, ... et sic uerba fecit: — Jam exspectauerit quisquam Bassiani orationem ipsam, cuius tamen loco scriptor paucis argumentum comprehendit, ut in Pertin. cap. 2. Denique nusquam alius ullius Latini scriptoris neque nomen (praeter Maximum Get. cap. 1?) citatum est, neque narratio legitur, quam apud scriptorem aliquem ab Maximo quidem diuersum Spartianus ipse reperit; contra de rebus futilissimis utraque in uita consentanea narrationis tantus est, ut eas ab uno scriptore unum fontem transscribente contextas esse oporteat.

§. 14.

Porro anquirentes num quae uita ex iis, quae alii auctori tribuerentur, ullius Maximianae narrationis prae se uestigia

ferret integrum Heliogabalum exceptis duabus posterioribus capitibus, quae infra examini subicientur, ex illa compositum esse cognouimus. Nam quum nullum omnino auctorem scriptor laudauit, tum, quae undecim prioribus capitibus continentur, *Pleraque Maximum in uita Heliogabali ipsius* dixisse aperte docemur in cap. 11 extremo, ubi pronomen *horum* non solum, quae proxime antecedant, uerum superiora etiam inde a primo capite designare manifesto probat consensus Victoris et Spartiani de narratione cap. 1. 2. 3 (cf. cum Vict. cap. XXIII) Ibi quum Victor scripsit: *Hoc impurius ne improbae quidem aut petulantes mulieres fuere, quippe orbe toto obscoenissimos perquirebat uisendis tractandisue artibus libidinum ferendarum* uerecunde reticuit, quae in cap. 5 et 6 parte priore Spartianus copiose exposuit; ex quibus scripturam cod. in narratione Victoris tuendam esse intelligi licet. Atque eodem e Maximo petita sunt in cap. 12—18 narrata, quae quum e superioribus apta sint, ut unius eiusdemque auctoris ingenium et scribendi genus prodant, tum extremi expositio fati, quo Heliogabalus occubuit (cap. 13—18) tam copiosa est tantumque a Graecis magnam partem scriptoribus abhorret, ut ab Latino quodam auctore profecta esse existimanda sit, qui ipse non mediocrem eius rei cognitionem habuerit. Iam uero cap. 19—34 legens ne unum quidem reperies quod ab homine leuia a grauibus rebus discriminante litteris commendari potuerit, qualem quidem narrationem Maximi fuisse Vopiscus tradidit (Firmi cap. 1), quumque undecim superiora uitae capita ex illo transscripta esse sciamus, ne dubitari quidem licet, quin posteriorem, quam diximus, uitae partem e Maximo Spartianus petiuerit.

Iam ad Pescennium transire licet. Cuius etiam ut ab eodem qui Seuerum scripsit profectam esse erueremus Maximi uestigia persequebamur, quo solo Spartianus etiam eam uitam contexens auctore usus sit. Nec enim alia in prioribus capp. sententia reperitur, quin in Iuliano et Seuero legatur, cf. cap. 2 Pesc cum Iul. cap. 4 et 5; Pesc. cap 3 cum Iul. cap. 4. Similiter quae cap. 2 praecedunt eodem ex fonte manasse mentio percussoris Commodi eadem in Comm. 17 iisdem uerbis facta arguit. Atque ut hoc loco de opitalia dicere omittamus, cap. 5 et priorem 6 partem cum Seu. cap. 8 et 9 initio mire congruere supra cognouimus. Nec Spartianum reliquam uitam scribentem ab excerpendi Maximi consuetudine recessisse probabile est, praesertim quum eius certa indicia passim deprehenduntur. Nam in 6 cap. Commodi Commodum sacris Aegyptiis deditum fuisse traditum est.

Idem primum fecisse Caracallam huius in uita docemur, ut mira narrationis repugnantia oriatur; iam autem Car. scriptorem e Maximo totum pependisse probauimus, qui cum ipse haud dubie etiam pugnantia infra miratus est atque inter se conciliare conatus; quumque in Pesc. cap. 6 iterum de sacris Aegyptiis a Commodo celebratis disseratur: ibi apertum est narrationis Maximinae uestigium. Ex qua item uaticinationes cap. 8 excerptas a Spartiano esse haec docent: in Alex. Seu. 14 cap. Cap. scripsit .... *de futuris hos accepisse dicitur uersus .... et primum quidem sortibus .... intellectum est, quod inter deos etiam referretur*, (iam deest aliquid ad nexus integritatem) .... *te manet imperium .... ex quo intellectum est Romani illum imperii principem futurum*, atque inferius scriptor tales uersus dixit *sortes Virgilianas*. Similiter autem Hadr. (cap. 2) *Virgilianas sortes* consuluisse dicitur, quam ettandarum sortium rationem nusquam praeterea apud scriptores hist. Aug. inuenimus, ut quoniam uita Hadr. a Maximina narratione omnis nata est, etiam illa uerba uitae Alex. Seu. Maximo Capitolinum debuisse colligi liceat (cf. cap. 5 Alex). Atque in Pesc. cap. 8 constanter eadem dictio: *ex quo intellectum est*, quae in Alex. Seu. usurpata est, ut Maximi proprium scribendi genus illic cernatur. A quo eodem Spartianus mutuatus est ea, quae in cap. 11 de Pesc. oratorias laudes spernente tradidit (cf. Alex. Seu. cap. 35 et 31).

Restat ut de epistolis cap. 3 et 4 insertis dicamus. Aliae enim eae non reperiuntur in uitis, quas a Spartiano scriptas esse contendimus; desunt in Hadriano, Vero Caesare, Antoninis, Vero Aug., Pertinace, Sept. Seu., Carac., Geta. At orationes atque epistolas non quod omnino ignorabat, uerum quod sine ullo incommodo putabat omitti posse, in narrationem adsciscere neglexit; ergo eas nunc missas fecit, quas litteris commendare *longum* esset (cf. Pert. de epistola cap. 15, de orat. cap. 2) nunc assumpsit, ubi in iis aliquantum momenti cognouit ad res moresque diiudicanda inesse; qua de re legas Comm. cap. 18. Atque ut in Commodo *senatus consultum* et *acclamationes* tradidit, at *iudicium senatus de Commodo* cognosceremus, sic in Pescennium se dixit intulisse epistolas, *quibus omnium de Pescennio iudicia* doceremur; quas ipsa dicendi genus Maximinum produnt, cuius in libris quum scriptor Pertinacis et Commodi *orationem, epistolam, acclamationes* se legisse affirmauerit, etiam uitae Pescennianae epistolas illi deberi patet. Eminent eae praeterea succo et colore, natiuo ut uere ex annalibus

et actis urbis petitae, non fictae a quoquam esse cognoscantur (cf. Comm. cap. 15.)

Sic praemunita quodammodo est disquisitio Clodii Albini auctoris, quem qui uitae Pesc. scriptorem fuisse duxerit ualde nostro arbitratu errauerit. Nam ille ut diuersis e libris uitam Albini composuit, et subditicias epistolas assumpsit, ut prorsus eundem sese exhibeat, qui Maximinos, Gordd., Max. et Alb. pertexuit. Rerum a se narratarum Mar. Maximum (in capp. 3 et 9), Cordum (5, 7, 11), Herodianum (cap. I) secutus est constantius quidem, quam secundum eorum mentionem opineris. Iam enim in prima cap. uerba: *fuit autem Clod. . . . . . . approbatio Pesc.* quanquam scriptor non dixit Maximius esse, esse tamen effecimus quaestione de uita Pesc., eodem ex auctore descriptionem belli ciuilis fluxisse ostendimus (cf. Seu. capp. 10 et 11 cum Alb. cap. 9); item uitam Seuerianam in cap. 10 citatam e Maximi libris Capitolinum cognouisse probauimus; cf praeterea extr. cap. Alb. cum Vict. cap. XX uerbis: *alter Pertinacis auctor occidendi.*

Cordum licet scriptor in cap. 7 citauerit, tamen iam in secundo est auctorem secutus. Epistolam enim non ab ipso Commodo proficisci potuisse ex ea erui ipsa licet. Primum quidem uocabulum *rationalis* auctorem Diocletianiae et Constantiniae aetatis arguit, quo qui *rationales*, iidem tempore superiori *procuratores* dicebantur (hinc causa repetenda est, cur Capitolinus in Alex. Seu. c. 45 scripserit: *procuratores id est rationales*), deinde indocti hominis ingenium arguunt uerba: *et proauus meus Verus*, quae quidem Commodus certo ipse non dixisset, at uide fontem eorum, quae magna ex parte epistola continentur in cap 6: *quibus rebus accensus Commodus Caesarianum ei nomen obtulit et dandi stipendii facultatem et pallii coccini utendi*; ad quae Cordum litteras eas effinxisse suspicor ex cap. 3, ubi Capitolinus epistolam ex illius libris petitam (etiam ipsam admodum ineptam) persecutus est. Ex Herodiani interprete quaedam non modo in cap. I breui dicta, uerum etiam enarrationem insidiarum Albino factarum deprompsit (cf. Clod. Alb. c. 8 cum Herod. lib. III. cap. 16 et 17) Quod autem Graecus scriptor litteras memorias non prodidit, Capitolinus edidit, ex eo perspicua est indoles narrationis eiusdem, quam in cap. secunda dissert. nostrae depinximus.

Verumenimuero scriptor in cap. 1 tradidit: *quare sortem illam, qua Seuerum laudatum in Pesc. uita diximus* ut quum uitam Pesc. Nigri contexuisse se tum uersum, qui ibi legitur (in cap. 8) cognitum habuisse aperte professus

sit. Vtramque at libenter concedimus sic eam, quae aetatem tulit, uitam Pescennianam Capitolini esse omnino negamus et hunc et Spartianum res utriusque principis persecutos, uitam uero Pescennii, quae extat, a Spartiano, Clodii Albini a Capitolino scriptam sentientes. Qui quum in Albinum Maximi, Cordi, Herodiani narrationem intulerit: Pescennianam quoque uitam, quam idem scripsit, iisdem a scriptoribus conflatam fuisse perspicuum est.

Ac quod in Pescennium, idem in Iulianum ualet. Nam in cap. 4 Iul. narrata supra intelleximus cum Pesc. capp. 2 et 3 maximam partem congruere, porro quae in capp. 6, 7 8 Iul. leguntur, eodem breuius expressa sunt in Sept. Seu. 6 cap. Denique in cap. 2 scripta sunt haec: *fuit consul cum Pertinace et in proconsulatu Africae eidem successit et semper ab eo collega est et successor appellatus, maxime eo die, quum filiam suam Iulianus despondens affini suo ad Pertinacem uenisset idque intimasset* (ille adhortatatus est iuuenem ad patrui obseruationem) *dixitque: hunc obserua debita reuerentia quia collega et successor meus est*, quae correcta exhibuimus secundum Pert. cap. 14. Quodquum in extremo, media, superiore Iuliani uita continua Maximi narratio appareat: eum qui scripserit eundem Seueri et Pescennii auctorem extitisse consentaneum est.

Similiter in Pertinace extant, quae passim in Iul. et Seuero reperiuntur. Ad locum modo citatum accedunt Pert. c. 14 cf. cum Iul. c. 4, Pert. cap. 15 cf. cum Seu. cap. 7. Verum etiam ipse scriptor se Maximi libros manibus uersauisse professus est in cap. 15 extr., ut posterior uitae pars nullum dubium sit quin e Maximi scriptis manauerit. Vt uero idem in priorem conuenire probem: uerba *aulicum famulitium* cap. 11 etiam in Seu. c. 6 leguntur; de signo Pertinacis in cap. 5 atque in Seu. 23 ita refertur, ut Spartianum utrobique Maximum secutum esse perspicuum sit; quod quidem ille in cap. 2 ipse professus est. Sic totam per uitam detectis Maximinorum librorum indiciis artis criticae legibus repugnaret, si qui Clodium Alb., Macr., Diad., Alex. Seu. scripsit eundem Pertinacem contexnisse contenderet.

Atque constans assiduusque usus scriptorum Maximi et epistolarum praetermissio, ex quibus narrationem Spartiani cognosci debere diximus, etiam in Commodi uita cernitur. In cap. 18 initio *acclamationes et senatusconsulti sententiam* ex illis depromptas esse scriptor diserte dixit, ut in aperto sit, cui cap. 18—20 auctori debeantur. Eundem fontem arguunt uerba cap. 17: *hunc tamen Seuerus* . . .

retulit et quae proxime sequuntur cf. cum Seu. cap. 11 initio. Porro Commodi caedis expositio iisdem uerbis continetur in Pesc. cap. 1 extr. Verba cap. 16: *de palatio ipse ad Caelium montem in Vectilianas aedes migrauit* a Maximo excerpta esse concluderemus e cap. 5 Pert., etiamsi in cap. 15 mentio illius facta non esset. Quae porro capp. 8—13 continentur, satis ostendunt narrationem Maximinam a Vopisco castigatam (Fir. cap. I), ut, quia alibi illam transscriptam esse intelleximus, nullus dubitationi locus relinquatur, an non alius alicuius scriptoris ibi uestigia latere existimemus, praesertim quum in cap. 9 (sacra Aegyptia Romam inuecta) et 13 Maximi censurae indicia manifesta. Neque priora capita minime abhorrens a reliquo ulla genere narrationis continentia ulla causa apparet, cur huic abiudicemus, maxime quum in cap. 2 de honoribus pueri Commodi relatum sit admodum conuenienter capiti 16 M. Aurelii, ubi corrupta quidem scriptura est non ita tamen, quin affirmare nobis secundum cod. Pal. scripturam liceat sic scriptum fuisse: *quo quidem tempore sane imperator filio ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit.*

§. 15.

Auidii Cassii uita secundum ea, quae stabiliuimus, dignoscendorum scriptorum principia ab libris Spartiani seiungatur oportet. Nam auctor eius Parthenianum quendam dixit (in cap. 5) *affectatores tyrannidis iam usque a ueteribus* memoriae prodidisse, quem quum in libro suo de acerba in milites seueritate Auidii copiose scripsisse ab eodem traditum sit, non dubito equidem, quin seuerae exempla militiae in cap. 5 et 6 enumerata e Partheniani scriptis petita sint. Quae uero auctor uitae inferius e Maximo assumpta de seditione Cassii tradidit (cf. cap. 6 med. . . . *amatusque est ab omnibus orientalibus . . . . . . ut docet Mar. Maximus in uita diui Marci*), haec eodem ordine scripta sunt in M. Aur. cap. 24 inde a uerbis: *et fecisset, nisi Au. Cassius rebellasset* cf. cap. 7 et 6 partem poster., capp. 8 et 9 Auid. Cass. cum M. Aur. capp. 24, 25 init. 26). Cur autem non iam superius uestigia Maximi in Cassio reperiri licet, cui auctorem usque a sexto cap. adhaesisse sciamus? cur praeterea non ea in Aurelio deprehenduntur, quae a Partheniani scriptis fluxisse ualde probabiliter coniicimus? Utriusque rei ratio posita in eo est, quod Maximus haud scio an solus M. Aur. scriptori cognitus omnino non usus

est Partheniano. Eo accedit, quod quem librum inspexerit Spartianus nusquam significauit, Cassii autem plerumque docuit (cf. cap. 6 extr.: *ut idem Maximus refert in libro, quem secundum de uita M. Antonini edidit*, deinde in cap. 9). Quod autem maxime momentum facit: ille narrationis probabilitatem suae epistolarum testimonio (cf. capp. 5, 9—14) confirmauit. Oratio, quam Aurelius ad senatum dedit (c. 12), ut Auidianae defectionis auctoribus sociisque parcerent, aut in Maximi libris ab eo inuenta est, quippe quae in cap. 8 extr. et 9 initio narrata comprehendat, (*ipse autem Ant. a senatu petiit, ne grauiter in conscios defectionis animaduerteretur . . . .*), quae etiam in M. Aur. c. 25 prodita sunt, ubi quum litterae nullae extent haud scio an a Spartiano eodem quo ab auctore Commodi, Pert., Sev. consilio praetermissae sint; aut a scriptore Cassii ad Maximi narrationem, quam modo diximus, efficta. Quae quoquomodo se habeant, alium auctorem M. Aurelii, alium Av. Cassii uitam contexuisse manifestum est. Iam quum ueterum testimonia librorum de nomine Vulc. Gallicani consentiant, nisi huius illa uita uere esset, iure quisque miraretur, quo modo tale nomen temere scribi posset.

Sequitur ut de Hadriano, Aelio Caesare, Antoninis, Ael. Augusto disseratur. Atque in Hadriano praeter Maximum nullus narrationis auctor citatus est (cf. cap. 2, 12, ubi necessario legenda est Salm. adnot. 20, 25). Quem Spartianus non modo ubi nominauit, uerum etiam quum reticuit sequebatur, quod e duobus exemplis licuit nobis perspicere. Nam quae in cap. 16 de ui diuinandi Hadriano innata dixit non citato auctore: haec ex Ael. Caes. cap. 3 e Maximo deprompsisse cognoscitur, deinde uerba: *inter cibos unice amabat tetrapharmacum* (cap. 21) dubitares an non tribui oporteret eidem, ni tibi Capitolini uerba in Alex. Sev. cap. 31 omnem scrupulum eximerent. Quam tetrapharmaci cognitionem etiam in Ael. Caes. uitae cap. 5 eodem e Maximo sibi peperisse Spartianum quominus statuamus non obstat locus omni ex parte interpolatus. Nam *ut alii ferunt* non leguntur in Palatino, deinde sex fercula non quinque in regio numerata sunt, quae non cadunt in appellationem *pentapharmaci*; denique uerba: *de quo genere cibi aliter refert Mar. Maximus non pentapharmacum, sed tetrapharmacum appellans* in reg. et Polit. codd. non reperiuntur, id quod maxime mouet interpolationis suspicionem nostram, etenim in reg. cod. aliae suppletae sunt, quae in Palat. reperiuntur, lacunae (cf. Valer. cap. 1, Gall. cap. 1, 2, 4 ibique adnot. Salm.), plura etiam passim quam in

Palat. scripta, (cf. Aureliani cap. 19 extr., ubi non recte sensit Salmas.), similiter etiam omissa, quae uulgo circumferuntur (Max. et Balb. cap. 15). Ergo cur illius cod. librarius uerba, de quibus agimus, consulto omiserit, si in uerborum continuatione reperit, ne minima quidem causa apparet. Nos ea et quae praecedunt: *hoc est . . . . . aprunam* glossema partim ex Hadr. cap. 21 natum habemus, atque iam in antiquissimi libri, qui codicum extantium fons fuit, margine scripta fuisse coniicimus. Accipe enim alia, quae bis in scriptoribus latent, interpolationum exempla: In Comm. cap. 5 *quasi a latronibus* natum ex Carac. cap. 3 glossema; in Gord. tert. c. 23: *Dexippus quidem asseuerat ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum*, quae neque ubi in codicibus leguntur, neque ubi Casaubonus et Salmasius collocata uoluerunt, apta sunt; aperte haec subditicia atque e cap. 20 extr. uerbis paene iisdem orta sunt; porro in Gordd. cap. 21 insiticia habemus: *si quidem ea debent in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint aut sequenda*, non tam ob ineptissimam sententiam eorum uerborum quam ob uocabulum: *historiographis*. De Hadr. cap. 14 uerbis *amatoria carmina scripsit* iam supra iudicauimus. Praeterea, quae maxime consilio nostro conueniunt, in Heliog. cap. 11: *Horum pleraque Mar. Maximus dicit in uita ipsius Heliogabali*; in Geta cap. 2: *de cuius uita et moribus in uita Seueri Mar. Maximus primo septenario satis copiose retulit*: quae cave ad suum paternum referas; et haec duo non est, cur non Spartiani esse probemus, si quidem haec coniectura satis se ipsa tuetur. Iam autem ad Hadrianum redire licet, ubi probabile esse demonstrauimus etiam eam narrationem, quam ipse Spartianus Maximium non edixit, Maximo tribuendam esse. Ac magnopere haec coniectura confirmatur eo, quod in Hadr. cap. 2 et 24 de Aelii Veri adoptione narrata ualde cum Ael. cap. 3 congruunt, porro de ualetudine Veri cf. cap. 23 Hadr. cum Veri Caes. cap. 6, de morte eiusdem Hadr. cap. 23 cum Veri cap. 4; consentiunt autem etiam uitae Hadr. et Ant. pii, Ael Caesaris et Aug. de rebus nonnullis ita inter se, ut ea similitudo e fonte communi a Spartiano transscripto nata haberi debeat cf. Hadr. cap. 24: *sed mortuo Aelio . . . . Annium Verum et M. Anton.* cum Anton. pii cap. 4: *sane adoptionis . . . .* et quae sequuntur proxime, deinde de cognomine pii cf. Hadr. c. 24 et cap. 27 extr. cum Ant. pii cap. 2; de muro cespiticio Hadr. 11 cf. cum Ant. pii cap. 5, de Vero utroque cf. Ver. Caes. cap. 6 cum Veri Aug. cap. 2, Ael. Caes. c. 7 um Veri Aug. c. 2.

Ac M. Aurelii scriptorem unum Maximum ueterem cegnitum babuisse similiter euinci licet. Ille enim quae de Au. Cassii defectione in capp. 24, 25, 26 tradidit, ea non solum magna ex parte ab hac mutuatus est, uerum accurate quaeque ad narrationem Maximianam expressit, id quod in praecedenti § demonstrauimus. Praeterea quae de Ael. Aug. in prioribus capitibus M. Aur. dicta sunt, cum libello de eadem Ael. separatim scripto mire passim coagrunnt, cf. Aur. cap. 8: *et Verum quidem Marcus Capuam prosecutus ...... contendit* cum Veri Aug. cap. 6: *profectum eum ad Parthicum bellum .... ad eum uisendum frater contendit*; Aut. phil. cap 8 et 9 cum Veri cap. 7 et 8 (a uerbis: *habuit hanc reuerentiam Marci Verus ...*; Aut. phil. cap. 14 de itinere Germanico et morte Aelii cum Veri cap. 9, ubi emendatio Salmasii: *destinatum est* non necessaria est, ualde uero probabilis in Ant. phil. c. 14: *legatos ad imperaturem.*

§. 16.

Verum praeter eam narrationis similitudinem uestigia transscripti Maximi alia in M. Aurelio luculentissima extant, quae si nobiscum cognoueris, originem turbarum fere librariorum negligentiae tribui solitam (cf. Casaub. adnot. ad cap. 16, 17 extr.) ipsi Spartiano probro dare non dubitabis. Maximus quidem duobus in libris de Marci uita testimonio Gallicani (Auid. Cass. cap. 9) ita egit, ut quae ille una cum Vero Aug. gessit, prior, quae eo mortuo, posterior comprehenderet. Cuius partitionis manifesta iudicia in Marco Spartiani reperiuntur. Vicesimum caput a uerbis *sub M. Antonio haec sunt gesta post fratrem* exordium capit, ut praemissa iis narratione utriusque Augusti principatum contineri scriptorem uoluisse consequatur. Iam uero in parte posteriore copiosius eadem, quae per prioris quinque capita (15—20) breui tradita sunt. In cap. 15 honores diuo Vero decreti enumerantur, quod ipsum etiam in 20 cap. initio factum est, in cap. 16 commemoratur defectio Cassii, cuius ortus ac ratio tota in capp. 24, 25, 26 explicatur; in cap. 16 quam princeps benignitatem affinibus praestiterit, et cur ipse solus iam multo facilius rem publicam rexerit ostenditur, quorum utrumque in cap. 20 repetitum est; in cap. 17 de apparatu ulterius belli Marcomannici solo ab Marco suscepti et de uenditione ornamentorum imperialium refertur, quae eadem in cap. 21 et 22 narrantur; in cap. 18 parte

priore carissimi obitus imperatoris attingitur, cuius in cap. 28 rationem fusius scriptor exposuit; in cap. 18 de filio Commodo (*hic sane uir tantus ...... non reliquisset*) deque adulterio Faustinae disseruit, quorum priorem in capp. 27 et 28, posterius in c. 23 iterum meminit. Qua de iterata narratione quid sentiamus? ipse scriptor sententiae nobis incertis futuris succurrit, qui in cap. 19 extremo scripserit: *et quidem haec breuiter et congeste.* Nam quam in prioribus uitae quatuordecim capp litteris ea mandasset, quae in priore Max. libro tradidit, alterum deinceps librum raptim transscripsit, nec inde grauissimas tantum res deprompsit, uerum etiam uerba Maximi totam uitam apte definientia, quae in cap. 19 extr. leguntur: *Tantum sane ualet boni principis uita* usque ad haec: *et quidem haec breui et congeste.* Ex quibus quoniam scriptorem e Maximina historia excerpentem duo arcte retinuisse intelligitur et uniuersam diuisionem et res, nihil enim in posteriore parte (a cap. 20) scripsit, quod non in quinque prioris capp. attigerit, utrobique narrationem laceram ac peruersam, inconcinnam uero orationem euasisse non mirum est (huc non pertinere sententias cap. 16: Post Veri obitum M. Ant. solus rempublicam tenuit ...., erat enim ipse tantae tranquillitatis ...... Nam et Adrianus ut dictum est (cf. Hadr. 24) hunc eundem successorem parauerat .... intelligitur e Victoris epitomae cap. 16 et Eutr. lib. VIII, cap. 11, qui quidem etiam ipsi Maximo usi sint). Ac luctus publici expositio mortem Aur. secuti atque exequiarum (cap. 18) ab id inceptum locum tenet, quod seiuncta sunt, quae in cap. 27 et 28 de moriente principe narrantur, quae si illis apte admisceantur coniunctaque collocantur in uita extrema, et apta oratio et narratio integra efficitur, qualis quidem apud Maximum legebatur. Et hoc in reliqua cadit, quae supra disiuncta repetitaque notabamus. Tantam incuriam si quis librariis, quam Spartiano probro dare malit, qui in posterioribus Aur. capitibus de obitu Veri ac Marci, de bello Marcomannico, de Marci moribus institutisque, de Faustinae impudicitia tradita in quinque capita transscripserint, post uero addiderint copiosiorem Spartiani narrationem: habeat quidem, quibus opinionem eam tueatur, argumenta turbas, quas Casaub. in ead. regio iam in cap. 5 et sequentibus esse cognouit, porro uerba: *Fuit autem consuetudo Marco .... et: multum sane potuerunt liberti sub Marco et Vero* ... (c. 15), quae eo in loco ipse Spartianus non scripsit, attamen facile refutetur eo, quod hic in capp. 15—20 dicta s se in capp. 20—29 repeti confessus est; nam de uenditione ornamenti imperialis

se iam in cap. 17 egisse dixit in cap. 21, praeterea incestus Faustinae amores iam supra (in cap. 19) a se notari meminit in cap. 23 ita: *de amatis pantomimis ab uxore fuit sermo, ut superius diximus.* Ac quod modo diximus in posterioribus nouem capitibus quaedam ita recurrere, ut si cum prioribus quinque scite coniungerentur, apta ex se et concinna narratio Maximi efficeretur: idem in 13 eiusdem uitae caput conuenit. Nam *Tanta autem fuit pestilentia, ut uehiculis cadauera sint exportata* minime a superioribus nexa sunt, quae quantum Marcomanni metum ciuibus Romanis iniecerint, ac quo pacto eum minuere princeps cogitauerit definiunt. Ibique eo nexus sublatus est, quod Spartianus de orta ac uis pestilentiae intermisit dicere, quamuis de ui eius perniciosissima scripserit. Ac quum ex Ael. Aug. cap. 8 post bellum Parthicum luem in Babylonia natam occidentem uersus serpsisse pateat: Maximinam ille narrationem, quam in primo auctoris Maximi libro plenam integramque inuenerat, duo in membra diuisit, quorum unum Marci, alterum Veri uitae insereret. Ac suo iure originem pestis, quum illum scribebat, huic seposuit, quia Vero Aug. in Syria commoranti eius ortum uitio uertendum esse alii contendebant alii negabant aeque ac damnosam uim in uita Marci exposuit, cuius opem publicae calamitati latam ibidem celebrarat. Vtrobique autem Maximum a Spartiano transscriptum esse ex eo intelligas, quod in cap. 12 de honoribus Vero uictori ac Marco decretis prorsus ita scriptum est, ut in Veri cap. 7, cui ipsi scriptor subiecit pestilentiae descriptionem, quam expeditionem Parthicam proxime consecutam esse innueret. Idem uero rerum ordo in uita Marci cernitur, nisi quod ibi mentio belli Marcomannici illius inter atque luis descriptionem interiecta est, quod quum exarsit uix bellum Asiaticum finitum erat.

Ergo si apte conciliantur, quae in utraque uita legimus, ex se commode nexa narratio oritur unius scriptoris, qui quin Maximus fuerit non dubitamus. Ad priorem uitae partem accedamus. Ibi ut illud praeteream, quod in cap. 5 adoptionis condicio ab Hadriano facta plane similiter atque in Hadr. cap. 24 expressa est, in cap. 1 ipse scriptor de origine principis Maximi testimonio scripsisse se professus est; iam uero in posteriore uitae parte Maximinae narrationis manifestissima uestigia ostendimus, licet ille eum auctorem ibi reticuerit. Ex quo Spartianum priora quoque capita ubi mentionem auctoris non fecerit, eundem constanter fontem transscripsisse probabile est. Non enim quod in cap. 6 M. Aurelii Antoninus pius corpus Adriani Baiis absumpti auectu-

rum Romam reliquisse, in Hadr. autem cap. **25** Hadrianus in Ant. pii conspectu mortem obiisse traditur: ea tantum inter se dissident, ut alio auctore unus, alio alter locus a Spartiano scriptus esse putandus sit; possunt enim haec conciliari, maxime quum humilem in excerpendo operam Spartianum posuisse sciamus. In Adriano enim iam denique princeps aegrotans Ant. pium fertur arcessiuisse, quom se Baiis nihil proficere id est mortem appetiturum sentiret, atque illic iam moriente principe illuc adduxisse. In Marco autem hoc potissimum referebat auctor Antoninum corporis Baiis asportandi causa Romam reliquisse, non item abeuntem eo iam morituum principem offendisset, quandoquidem consilio Antonini Baias profecti Hadrianum morbo iam confectum dici magis conuenit. At si cui haec argutius ab nobis dicta esse uideantur; is ipsum Maximum pugnantia scribere potuisse reputet.

Quum coniecturam non quod effugere alio modo in qua haeremus salebram nequeamus amplectimur, uerum quod in Carac. c. **9** Maximus a Comm. cap. **9** abhorrentia litteris mandauit ipse quidem contraria se conlexuisse intelligens. Hoc si quis ei etiam in Hadr. et Ant. phil. l. l. accidisse contendat: non nos refragamur.

Adhuc e quaque uita cuius ea scriptoris narrationem prodat eruimus. Reliqua est quaestio de quibusdam locutionibus, quibus Spartianus discrepantium inter se auctorum opiniones significare consueuit. Sunt autem eae: *ut alii tradunt* (uel tradiderunt in Pesc. Nigri cap. **1**, Pert. cap. **10**, Hadr. cap. **24**; *aliqui scriptores dicunt* (putant): Seu. cap. **10** et **24**, Carac. **11**, Getae cap. **2**, *multi dicunt*: Pert. cap. **9** et **11**, Hadr. cap. **4** et **6**; *ut plerique retulerunt*: Seu. cap. **16**; *sunt tamen, qui dicunt*: Carac. c. **8**. Atque ita Maximus fere diuersitatem opinionum expressisse censendus est ab eoque illa deprompsisse Spartianus. Qua de re nemo erit, cui non persuadeat collatio horum locorum: M. Aur. cap. **24**: (Auidius Cassius), *qui imperatorem se appellauit, ut quidam dicunt Faustina uolente, quae de mariti ualetudine desperaret; alii dicunt ementita morte Antonini Cassium imperatorem se appellasse*; et Auidii Cassii cap. **7**: *hic imperatorem se appellauit, ut quidam dicunt, Faustina uolente, quae ualetudini Marci iam diffidebat . . . . . alii autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus et prouincialibus Cassium contra Marci amorem, ut sibi posset consentiri, qui diceret Marcum diem obiisse.* Quorum auctorem uerborum Maximum fuisse Spartiano et Gallicano supra probauimus; ex quo quid de reliquis dictionibus inter se simillimis faciendum

iudicii sit in aperto est. Praeterea uitae Hadriani et Seueri ab ipsis principibus contextae loco testimonii citatae sunt de illa cf. Adr. cap. 1 et cap. 16, de hac Seu. cap. 3, 18 (etiam Vict. Seu. cap. XX; ubi coniectura Casauboni, loco Spartiano refellitur), Pesc. Nigri cap. 4. Iam supra (cf. cap. II dissert. et Clod. Alb. cap. 3 cum Pesc. cap. 4) Spartianum, quae e uita Seueri attulerit, ea e libris Maximi, non ex hac ipsa cognouisse probauimus, ut idem de uita Hadriania iudicium consectarium sit. Libri Aelii Mauri et historia belli Parthici a Quadrato contexta commemorantur. Ac quum haec quoque uerba: *legisse me apud Ael. Maurum Phlegontis Tralliani libertum* (sic scribendum est, nam, quod in Palat. legitur: *Phlegontis Hadriani libertum* haudscio an ex Hadr. cap. 16 natum sit) *memini: . . . relinqueret* (cf. Seu. cap. 20) aeque ac reliquam eius uitae narrationem e Maximo excerpta esse dico, ne cui iusto longius prolapsa esse suspicio mea arguatur, *Ael. Maurum libertum Phlegontis* dici perpendatur oportet; quod Spartianum omnino Maximi libris emancipatum unde comperisse putemus? Nimirum de Phlegonte ut erudito Hadriani liberto in uita Hadriania (cap. 16) ibi disseritur, ubi simul iniecta est mentio librorum principis ipsius, quae quidem probabiliter coniicientes (dudum enim uitae Seuerianae exemplo confirmati sumus) Spartianum a Maximo cognouisse in uitae Seueri loco, ubi iterum Phlegon commemoratus sit, eiusdem indicium auctoris latere iure nostro statuimus. At enim opinione maiorem Spartiano negligentiam tribuimus, quem negemus scriptorem euoluisse, cuius a se libros lectos esse ipse affirmauit. Verum accipe etiam maioris incuriae exempla: in Ael. Aug. cap. 9 auctor scripsit: *de quo bello quid per legatos barbarorum pacem petentium, quid per duces nostros gestum sit* (sic lege) *in Marci uita plenissime disputatum est*; quae ut in Vero iure Maximus suo scripserit, Spartianus certe scribere nullo pacto licuit; is enim in Marci cap. 14 paucissimis uerbis expositionem belli illius absoluit, neque enim sic eam inconstantiam sustuleris, si qui Verum scripserit eundem M. Aurelium pertexuisse negaueris; quum unam utriusque uitae scriptorem et nostra praecepta et librorum testimonia approbent. Similiter in Ael. Veri Caes. cap. 2 de Lucii Ceionii Commodi Antonini familia eius in uita se uberius scripturum promisit, non soluit tamen promissum, qui ibi repetierit, quae in Ael. Caesare dixerat. — Non mediocrem scrupulum iniicit mentio Quadrati in Ael. Aug. cap. 8 facta; qui quum Maximi aequalis fuit tum *χιλιετηρίδα* suam Suida teste (cf. uox *Κόδρατος*) ad Alex. Seueri prin-

cipaium Maximi quoque libros deficientem deduxi. Ac praeter eam etiam *Παρθονικά* siue *Παρθικά* (cf. Voss. de hist. Graec. lib. II, cap. 16, Casaub. et Salm. adnot. ad Veri Aug. cap. 9; Dionis Cassii interpretes ad lib. 70, cap. 3) pertexuit, quae secundum Suidae de iis silentium forsan dubitares an non diuersa a chiliclaride fuissent, ni Stephanus Byzantinus utraque persaepe citauisset (cf. ea de re plena Vossii disputatio). Iam si Parthica Quadratum prius quam chilieterida scripsisse ponimus, facile fieri patuit, ut ex illis Maximus quaedam excerperet, quem Alexandri Seueri imperium describentem Philippi tempora attigisse probabile est. Auget eam suspicionem nostram silentium Spartiani de copiosiore altero Graeci eius scriptoris libro historiam Romanam complectente; uero enim si ipse esset ea auctore suus reliquis uitis scribendis hunc ipsum adhibuisset, alibique aliquotica iniecisset mentionem eius. Iam autem de Auidii Cassii seditione ea tantum omnino in M. Aurelio attulit, quae manifesta testimonia Vulcatii Gallicani docemur in Maximi libro secundo de Marci rebus scripta fuisse (Auid. Cass. c. 6, 7 cf. cum M. Aur. c. 24, 25, 26.) Porro Quadratus in Parthicis etiam de uniuersis Marci rebus egisse e Zosima cognoscitur.[11]) In Spartiani autem M. Aurelio nusquam citatus est; eodem accedit, quod etiam Vulc. Gallicanus historias Quadrati meminit, (Au. Cass. 1) ubi *Parthica*, non *chiliada* cogites oportet secundum uerba: *et apud ipsum Marcum praeualidum*, quae cur dicamus causa est in Zosimi testimonio illa atque in horum uerborum natura quaerenda. Atqui ille quam Quadrato copiosiorem Cassii scriptorem nullum habere posset, Cassius enim in Armenia uersabatur, (cf. Auid. cap. 6) et Seleuciam expugnauit (cf. Veri Aug. c. 8) neque tamen illum praeterea laudaret auctorem uilius narrationis: iam in cap. 1 uidetur Maximum transscripsisse; nec enim ibi quidem, ubi plurium opiniones auctorum tetigit (cap. 7 init.), Quadratum nominauit, quanquam qui de Auidii Cassii patre accurate scripsit, (cf. 1 ubi spernenda non est coniectura Salmasii) idem de seditionis Auidianae causis iudicium fecit, ut in Maximinis uerbis: *quidam dicunt*, aut *ut alii uolunt* etiam Quadrati sententiam latere suspicer. Deinde uero initium uitae Auidianae plane ita comparatum est ut Spartianarum i. e. Maximinarum omnium, qua de re infra dicemus. Ad duo haec argumenta addimus uerbum: *purgat*, quod proprium Maximinae dictionis fuisse colligimus ex M. Aureli cap. 29: (*de qua se multis epistolis purgat*); et cap. 23 (*sed haec omnia per epistolas suas*

[11]) Cf. Cas ad Ael. Aug. ado

purgauit); Veri cap. **12**; *(sed fabulam totam purgatam confutatamque respuimus)*, si quidem uerum est M. Aurelii uitam totam e Maximi scriptis natam esse.

Caput V.

§. 17.

Sequitor ut quaedam adiiciamus e Maximi, Spartiani, Capitolini librorum uniuersa cognitione deprompta. Capitolini has uitas extare exploratimus: Clodii Albini, Opilii Macrini, Diadumeni, Alex. Seueri, Maximinorum, Gordianorum, Max. et Balbini; Spartiani autem has: Hadriani, Aelii Caesaris, Titi Bononii Antonini, M. Aur. Antonini, Veri Augusti, Commodi, Pertinacis, Did Iuliani, Sept. Seueri, Pesc. Nigri, Caracallae, Getae, Heliogabali; — qui quum libros Maximi contractiores exhibuisse uideantur eum totidem uitas, quot illis continebantur, transscripsisse apertom est. Ergo olim praeter uitas principum, qui sunt Caesarem secuti, etiam Clodii Albini, Opilii Macrini, Diadumeni, Alex. Seueri uitae Spartianiae extabant; has enim Maximum contexuisse e consensu narrationis inter ipsas et Aur. Victoris scripta intercedente intelligi licet; rursus Capitolinum, qui de Clodio Albino retulerit, etiam Pesc. Nigri uitam scripsisse coniectura nostra supra firmata est eiusdemque antiquitas G tam, Caracallam, Heliogabalum lectos esse. Ac quod modo diximus exemplo Maximi Spartianum imperatores Hadriano aetate superiores depinxisse, id Ael. Caes. cap. 1 nititur. De Traiano secundum Alex. Sen. cap. **48** non dubium est quin Maximus egerit, nec quin huius in libris uitarum uitime Alexandri Seueri fuerit, quia neque Capitolinos narrationis suas auctores citare solitus in Maximinis, Gordd., Max et Balbino usquam illius meminit, et narratio Victoris eum Capitolini et Spartiani uitis admodum congrua ab illis omnino abhorret. Quippe Victor Seuerum, Getam, Caracallam, Macrinum, Diadumenum, Heliogabalum, Alex. Seuerum e Maximi libris exscripsit, superiorum uero principum uitâs ex aliarum scriptis composuit; quod quum aliis rebus tum librorum diuisioni Maximinorum tribuendum esse existimo. Maximum enim septenarium in eoque primo de Getae moribus scripsisse in cap. **1** Getae docemur, ex quo septem libros historiam Sept. Seueri, Getae, Carac., Clod. Albini, Pesc. Nigri

(Opilii Macrini, Diadumeni) comprehendisse colligi licet. Quod non solum ille locus uerum etiam ordo rerum Maximinus a Victore retentus demonstrat; hic enim Pesc. et Albini res ante descripsit, quam ea instruxit, quae ad uerbum cum uita Spartiani concinere cognouimus. His ipsis autem etiam Spartianus historiam Pesc. (cap. 8 Seu.) et Albini (cap. 10 et 11) praemisit, quanquam illic de priore non tam copiose quam in uita Pesc. separatim scripta disseruit, quam in Seu. ea tantum dici interesset, quae simul ad Seuerum pertingerent. De Geta iam diximus, et si Getam, certo etiam Caracallam in septenario tractauit; idque Victor prae ceteris nactus, quod haud scio an a superioribus Maximi libris etiam seiunctum circumferretur, eas uitas inde transscripsit. Praeterea Vopiscus auctor est, ut Pesc. Nigrum, Clod. Albinum, Auidium Cassium ab Maximo separatim scriptos esse negemus (cf. Firmi cap. 1). Quem de Aelio Caesare in Hadriani uita egisse concludere licet ex eo, quod de rebus Aelii Aug. eum non in singulari, uerum in priore de Marci principatu libro scripsisse docuit Vulc. Gallicanus in Au. Cass. cap. 9. Iam autem Spartianus ab Maximo sic discessit, ut etiam homines quacunque modo spem principatus concepissent (cf. Ael. Caes. cap. 1) singulis libris comprehenderet (cf. Ael. caes. cap. 7). Hinc causa repetenda est, cur idem in scribendis Ael. Aug. (cap. 1) et Getae (Carac. cap. 11) uitis non tam *uiuendi* (sic ipse l. l. dixit) quam *imperandi ordinem* secutum esse se professus sit; nam in eo ipso ab instituta Maximi recessit, qui Ael. Augusti historiam in priore de Marco libro absoluerit, et Getae sortem exposuerit, priusquam scripsit de Caracalla (cf. etiam Vict. cap. XX). Ea si reputaueris, magnopere probandam esse sentias uiam quaestionis nostram e similitudine narrationis diuersis in uitis repertae uestigia Maximi deriuandi. Spartianus enim quum Ael. Caesarem scribebat, quia fere Maximum sequebatur, non potuit ea, quae de Aelio in uitam Hadriani transscripserat, non repetere in libro de eodem Aelio singulari; quod idem in Veri Aug. uitam cadit, in qua iam in M. Aurelio narrata reperiantur; cadit etiam in Iulianum, Pertinacem, Sept. Seuerum, Pesc. Nigrum, Caracallam, Getam. Aliqui Spartianus ordinem rerum ab Maximo constitutum diligenter seruauit. Cuiusque enim principis uitam a stirpe maiorum repetiit, ac deinceps uitae priuatae subiunxit expositionem: cf. Hadr. cap. 1, Ant. pii cap. 1; Ant. phil. cap. 1, Comm. c. 1, Pert. cap. 1, Did. Iul. cap. 1; Sept. Seu. cap. 1, Car. cap. 1; quod quidem Capitolinus non fecit: cf. Clod. Alb. cap. 1, Opil. Macr. cap. 2 et 1,

Max. et Balb. cap. 1, cf. cum capp. 5 et 7: (ut quae animosius in aduoc. ad Valer. initium de Capitolini consuetudine pertexendarum uitarum dixerit, non probabilia esse perspiciatur). Nam Spartianum tale uitarum initium apud Maximum deprehendisse patet e Getae cap. 2, M Ant. phil. cap. 1, Hadr. cap. 1, ubi, quae de Hadriani maioribus tradita sint, partim testimonio uitae Hadrianiae alti intelligas, quam non ipsum legisse Spartianum docuimus. Eodem accedit, quod in Carac. initio propterea se de principis maioribus tacuisse dixit, quod in Seueri uita de iis satis retulisset; nec enim Maximus de ortu Carac. separatim egit, uerum in primo septenario de stirpe Seueri et familia tradidit. Quod idem in Commodum conuenit. Nec car ab aliis uitis initium Ael. Caesaris abhorreat mirum est. Ibi enim et de discedente ab Maximo uitarum ordine suo et de Caesaris appellatione, quam quidem dignitatem primus Aelius obtinuerat, quasi quaedam praefari scriptorem attinuit; nullum uero dubium est, quin quae etymologicae uocabuli Caesaris interpretationes ibi leguntur e Maximi libris petitae sint. Atque etiam initium Heliogabali ab reliquis uitis discrepat; uerum ibi quidem quae in uniuersum de prauitate Heliogabali dicta sint utrum Spartianus a Maximo sit nec ne mutuatus haereo. Etenim qui scripsit: compensationem sibi lector diligens faciet, quum legerit Augustum, Vespas., Titum, Traianum, Adrianum, pium Marcum contra hos prodigiosos tyrannos: is praeter Heliogabalum etiam illorum uitas, quibus taedium ex huius cognitione lectioneque perceptum mitigare lectoribus liceret, a se contextas esse non dissimulanter ostendit; atque illorum mentio principum Heliogabali eundem auctorem quem Veri fuisse probat (cf. Veri Caes. cap. I), cuius scriptor omnium qui Caesarem secuti essent imperatorum res se dixit litteris commendauisse; ergo quoniam Spartianum reliquam uitam scribentem Maximo usum esse probauimus illud etiam in uitae initio apertum eiusdem auctoris indicium habendum est.

§. 18.

Restat uita Pescenniana, cuius in principio quae de tyrannis in uniuersum narrata sunt, sententiam eandem continent, quam quae secundum cod. Palat. in cap. 9 ac discerpta in regio et Puteaneo partim (usque ad uerba: ... *uitam cum imperii usurpatione posuerunt*) in cap 9, partim (sequitur nunc ut de Clod. Albino dicam) in cap. ultimo leguntur. Quibus quidem aliena ab ingenio Spartiani subiecta esse consilimus; nam scriptor eorum uitam Pescennii, quae extat,

e pluribus libris composuisse se (in cap. 9) non potuit affirmare, in qua sola Maximi uestigia cernuntur, nec iis uerba e Maximo exscripsit, quem quoniam de Pescennio non separatim scripsisse constat ne praefatum quidem eiusmodi quicquam esse probabile est; praesertim quum similis iam in Cassii uita dicenda esset; porro in reliquis Spartiani uitis mentio *plurium librorum* nulla facta est, etsi in Ael. Augusto Maximi et Quadrati, in Sept. Seuero Ael. Mauri narratio cernitur; in Pescennio uero Maximus solus citatus est. Nimirum Capitolino proprium fuit iactare, quod e pluribus libris (Graecis Latinisque) uitas contexuisset suas; cf. Opil. Macr. c. 1, 16; Clod. Alb. 12, (Heliogab. c. 34, 35 de quibus mox dicemus). Ergone huius quae significauimus uerba esse dicamus? Necessario quidem etiam aliorum rationum urgentis momento. Nec enim Spart. (exemplo Maximi) quam uitam aliquam definiebat, quamuam deinceps scripturus esset, significabat, at docebat plerumque Capitolinus; cf. Diad. c. 9. (Heliog. c. 34) Alex. Seu. c. 64. Maxim. mai. c. 26. Quae praeterea in uitae Pesc. initio et cap. 9, eadem in Opil. Macr. cap. I reperiuntur, ex quibus unius eiusdemque scriptoris ingenium cognosci licet. Eam enim rem si quis contra nos pugnare dicat: Capitolinum plures principes unius libelli uinculo copulandi consilium, quod in Maximinus satis aperuerat, in Gordianorum c. 1 iterum exponere non piguisse sciat. Quod autem grauissimum est (id Dodwellum quoque permonit, ut Pesc. a Capitolino scriptam esse statueret): Diocletianus a scriptore sic compellatus est, ut alias compellari salua Constantinus solebat. Spartianus ipse: ut nummos atque inscriptiones missa faciamus (in quibus Diocletianus nunquam *maximus* appellatus est) sic Diocletianum compellauit: *Diocletiane Auguste* et *sacratissime imperator* (cf. Ael. Caes. 1, M. Ant. 19, Seu. 20), Capitolinus Constantinum: *Constantine maxime* cf. Clod. Alb. cap. 10, Alex. Seu. 76: Max. mai. 1, Gord. c. 34, *uenerabilis Auguste*: Gordd. cap. 1; *Constantine Auguste* Alex. Seu. 67. Quae quum ita sint, etiam in Pesc. cap. 9: *Constantine maxime Augustorum* scriptum fuisse patet. Verum iam oritur repugnantia ea quod uitam Diocletiano datam esse codd. testantur, in cap. 9 autem Constantini nomen requiri probauimus. Nimirum illa uerba, in quibus iam diu uersamur, a Capitolino Pesc. Nigro decerpta atque eiusdem tyranni uitae Spartianae partim praemissa, partim adiecta sunt. Quo pacto enim uitae inseri nonnulla potuerint, quoniam hoc coniunctum est cum quaestione de antiquissimo libro instituenda, alio loco docebimus.

Atque eius rei, quae non potest nemini admodum grauis esse uideri, etiam apertiora indicia sunt in uita Heliogabali, cuius priora 33 capita Maximinorum tantum narrationem prodere e superiore quaestione nostra patet. Namque in cap. 35 auctor e *Graecis Latinisque libris* uitam Heliog. collegisse se ait; porro in cap. 34 *diuersos auctores* se secutum esse affirmauit; quae nullo pacto e praecedentis narrationis indole intelligitur in superiora conuenire, in quibus Graeci scriptoris uestigium nullum impressum est, ut frustra Herodiani narrationem aut nomen Dexippi quaeras. Nec uero si diligentius reputatur, quicquid in cap. 34 et 35 scriptum est, ullus dubitationi locus relinquitur, quin ultimis duobus capp. e Capitolinis eiusdem principis uita decerptis Heliogabalus Spartiani auctus sit, ipse quidem sic desinens: *Hic finis Antoninorum nomini ...... quam nomine.* Nam primum uerba: *cuius uitam me ex Graecis Latinisque collectam scribere uoluisti* auctorem Alex. Seu. et Maximinorum (cap. 1) arguunt, qui et Graecorum et Latinorum ibi fontium uestigia reliquerit; tum quod scriptor Heliog. posterioris temporis principes se descripturum esse promisit (in illis quidem alios *semestre tempus*, alios *diutius* imperantes, ut *Claudium*, *Diocletianum*, *Constantinum* et *Licinium*), id certe si quicquam omnino prodit consilium Capitolini. Idem enim notum in Alex. Seu. repetitum est ita, ut eundem utrinque uitae scriptorem non possis non inde cognoscere; cf. Seu. Alex. 64: *Hactenus imperium P. R. eum principem habuit, qui diutius imperaret, post eum certatim irruentibus et aliis semestribus, aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus usque ad eos principes, qui latius imperium tetenderunt Aurelianum dico et deinceps, de quibus si uita suppeditauerit ea, quae comperta fuerint, publicabimus.* Atque ea in uita Herodiani et Dexippi uere narratio reperitur, plures praeterea, id quod scriptor in Heliog. cap. 35 professus est, Latini scriptores commemorati sunt. Cur tandem eorum in uita Heliog. ne tenuissimum quidem uestigium cognosci licet? Porro scriptor cap. 35 Heliog. Licinii uitam se contexturum professus post uictum a Constantino Licinium scripsisse se ostendit, id quod in Gordianorum auctorem (cf. cap. ultimum) cadit, quae omnia nos cogunt, ut Capitolinum auctorem duorum Heliog. posteriorum capitum habeamus. Ex quibus simul uerba cap. 2 Hel.: *quod tu Constantine sacratissime ita ueneraris ......* (cf. Ant. phil. cap. 19) corrupta esse perspicitur.

§. 19.

Quibus cognitis apertum licet efficere, quanta cum libidine qui uetustissimum librum exarauit nomina et ipsorum scriptorum et principum, ad quos illi uitas dederant, mutauerit.

Namque illa sic comparata sunt, ut, quoniam Spartianus Diocl. et Max. Augg. Const. et Maximiano Caess. scribens (cf. Ael. Caes. cap. 2, et Ant. phil. cap. 19) ad Diocletianum, Capitolinus post uictum Licinium uitas contexens (cf. Heliog. cap. 35, Gordd. capp. 35) ad Constantinum, Trebellius Pollio de Diocl. et Max. Aug. et Constantio Caesare disserens (cf. Claudii cap. 10) his imperantibus ad familiarem quendam (cf. trig. tyr. cap. 31 et 33) a se contexta dare consueuerant, propter temporum interuallum, quo principes a scriptoribus disiuncti fuerunt, alterutrius nomen deleri uel potius mutari necesse sit. Nam Ant. pii et Veri imperatoris uitae aut a Capitolino scriptae non sunt, quas ad Diocletianum dari potuisse patent, aut Constantino dedicatae sunt; porro qui Ant. Getae uitam Spartiano assignant, quoniam hic imperante Diocletiano uixit, nomen Constantini permutent oportet, quamquam etiam huius uitae initium ut Pescenninae Capitolinium esse suspicamur. Et haec quidem repugnantia nostrae de Spartiani et Capitolini scriptis doctrinae nouum fulcrum exstitit, quia hanc in rem manifestum efficitur librariorum licentiam inuasisse longius adeo progressam, ut illi tum scriberent nomina, ubi deesse, tum praetermitterent, ubi scripta mallent. Auidii Cassii uitam ad Diocletianum datam esse consequitur e cap. 3, ubi quom ille princeps compellatus sit, librarii, nisi a se ipsi descinissent, etiam uitae praemisissent: ad Diocl. Aug. — Contra Claudianam nec Constantino nec alii cuiquam imperatorum deferri Pollionem uoluisse uerba probant cap. 10 supra attacta. Nec quum a capite Caracallae nomen principis nullum significatum sit non mirum profecto est, cur scriptor libellum de fratre illius conscriptum Constantino tradiderit. Prope idem reperitur in uitis Opilii Macrini et Diadumeni Antonini, quarum priorem a Capitolino, posteriorem a Lampridio contextam, atque illam ad Diocletianum datam esse librarii retulerunt (posterius satis refellitur uerbis cap. 15: serenitati tuae, Constantino tantum conuenientibus), attamen utramque et ab uno auctore, quem Capitolinum esse diximus, et ad unum eundemque principem scriptam esse nemo non concesserit. Ex quibus quid consequatur dictu procliue est. Verba enim: ad Diocl. Aug., ad Constantinum Aug. et auctorum nomina omnino non ab ipso Spartiano et Capitolino cuique uitae praemissa sunt, qui si quid eiusmodi scripsissent, fore diximus id quod in Ael. Caes. initio legitur: Diocl. Augusto Ael. Spartianus suus Sal. Nec qui in ipsa uita Diocl. et Constantinum compellauerint illa rursus uitae praemisisse putandi sunt. Nobis et nomen auctoris et principis compellatio uniuersis cuiusque scriptis praemissa fuisse uidentur ita: Spartiani uitae ad Diocl. Aug., Capitolini uitae ad Constant. Aug. Ex quibus quum librarius quidam historiam principum componeret et aliam uitam ex alio auctore depromeret: suum cuique uitae scriptorem atque principis, cui ea data est, notationem praemitti necesse erat; quod quum partim ex illius arbitrio pependerit, mira, quam diximus, inconstantia nata est. Restat grauissima quaestio de causis turbarum, quas in cod. Palat., edit. Mediol. et Veneta reperiri in dissertationis initio diximus. Eam alteri huius parti seposuimus ibidem de Vopisci aetate et narratione separatim scripturi.

Vita.

Natus ego sum **Antonius Josepho** *et* **Rosina Becker** *e gente* **Lorenz** *oriunda anno MDCCCXIV pridie Non. Iun. in vico regionis Trebanicensis Frauualdauiensi, ubi quum parentes agellum possiderent, ex quo ærumnose pararent ad vitam necessaria, filio natu maximo Vratislaviam ubi litteris institueretur amandato me minimum una cum reliquis tribus liberis domi retinuerunt. Ac decem annos uita agresti inter domestica negotia acta ego quoque a fratre, qui me studiis humanitatis ingenium applicare uoluisset, illam in urbem uocatus sum. Tum ego illius alumnus, ille inopinatae auctor fortunae meae extitit, qui si dicere uellem, quae in me beneficia adhuc contulerit, profecto non possem prae multitudine ac uarietate eorum; persentiscere me ut quem maxime hoc potissimum loco mihi non possum quin profitear moderari.*

Ac prima eruditionis elementa privata institutione edoctus praeceptoribus gymnasii catholici traditus sum, a quibus ad altiorem doctrinarum cognitionem gradatim perducerer. Quorum scholis octo per annos usus quum testimonium maturitatis accepissem, philologiae studiosis a Car. Christ. **Schneidero** *rectore Vniversitatis Magnifico adnumeratus sum. Ergo quatuor annos philologiae studiis deditus eram; quam qui me docerent clarissimis aeque ac mihi dilectissimis uiris utebar:*

Schneidero, Ritschelio, *qui me exercitationum seminarii phil. participem reddiderunt,* **Ambrosio**; *prœterea historiæ studiis deditus* **Wachlerum, Stenzelium, Kutzenium** *Viros eruditissimos et publice disputantes audiui et priuatim consului: philosophiam tradentes* **Branisium** *et* **Eluenichium** *Viros praestantissimos adii.*

Verum grauissimum eruditionis momentum ratus in priuatis studiis situm esse domi maxime cum ueteribus commercium habebam; quod ut probe sustinerem singularis Kruhlii V. doctissimi liberalitas ex parte fecit, qui penuriam subsidiorum meam mihi concesso ad bibliothecam gymnasii catholici aditu compensaret. Ac tertio anno, quo Viri ordinis philosophici Clarissimi in mores Diocletiani inquiri uoluerant, ea de re institui quaestionem non indignam praemio esse uisam eaque ad fines litterarum delatus, in quibus nonnullum tempus studia mea uersata esse praemissa commentatio probat, ibidem usque habitare propositum habeo. In uiros autem, quos dixi, de me optime meritos, memorem usque animum seruabo.

Theses controuersae.

I. In Vopisci Carini cap. 18 necessario legendum est: quum uel duorum principum uita neu sine reprehensione dicatur.

II. In (Spartiani) Pertinacis cap. 4 lege: et ipsi Commodo plurimum placuit, quia ille consul (cs.) septimum, iterum quom Pertinax factus est.

III. In Oed. Col. u. 1373 (ed. Neu.) Sophoclem κελνην ἀρεῖ τις scripsisse suspicor.

IV. Aur. Victor is qui de Caesaribus scripsit solummodo Latinis auctoribus usus est.

V. Qui Diocletiano animum crudelem, timidum, subdolum probro uertunt, eos non mediocriter falli contendo.

